

1978

L

1266

[1]



Or



RECTOR
UNIVERSITATIS LIPSIENSIS
D. LUDOVICUS DE PFORDTEN
SACRA PENTECOSTALIA

A. D. MDCCCXLVI.

PIE CELEBRANDA INDICIT

ORATORE

D. AUGUSTO LUDOVICO GOTTLOB KREHL
ORD. THEOL. H. T. DECANO.

*Praefatio de doctoratu Lutheri in solemnii renuntiatione Doctorum Theologiae
d. XVIII. Febr. recitata c. App. Vitae Doctorum nuper creatorum.*



RECTO

UNIVERSITATIS LIPSIS

D. LUDOVICUS DE PEORDTIN

SACRA PENITENTIA



A. D. M. 1800

Kapsel 78 L 4266 [1]

AK

h 27

D. AUGUSTO LUDOVICO BOTTLER KENN

ORD. THEOL. H. T. DECANO

Fraglich de bodenre Luffert in solennit vormaligens Bodorum Bodorum
H. XVIIII Jahr verhandelt a. J. 1788 Bodorum nupt. ordinarum



ACADEMIAE RECTOR MAGNIFICE,
CURATOR SPLENDIDISSIME,
DECANI MAXIME SPECTABILES,
SENATORES GRAVISSIMI,
PROFESSORES ET DOCTORES
SUMME VENERABILES, ILLUSTRES, EXPERIENTIS-
SIMI, EXCELLENTISSIMI, AMPLISSIMI, DOCTISSIMI,
COMMILITONES ORNATISSIMI,
AUDITORES OMNIUM ORDINUM HONORATISSIMI.

Lutherum, cuius obitum hodie memoria pie recolimus, praeclarissimum doctoris theologiae fuisse exemplar, haud facile unus inter eos, qui sani sunt iudicii, negare vel in dubium vocare audebit. Fuit quidem olim Ingolstadiensis Iesuita, Gretserus*), qui demonstrare conaretur, Lutherum doctoratu suo mundum fascinasse ac dementasse, eoque ad res novandas et ad scripturae excidium et exitium abusum esse, neque alium habuisse promotorem, quam spiritum infernalem. Has vero nugas, ne dicam blasphemias denuo, refutare neque opus, neque in animo est: tamen propterea eas commemoravi, quod viam ac rationem indignant, qua mihi de Luthero theologiae doctore dicturo procedendum sit.

Ac primum quidem ea breviter commemoranda esse puto, quae externam, ut ita dicam, eius vocationem ad doctoratum spectant;

*) Foersteri Oratio Panegyrica de Doctoratu et Coniugio B. Lutheri. Witeb. 1622. p. 4 seqq.

deinde vero paucissimis, ne patientiam vestram fatigare velle videar, ea exponam, quae qualem doctorem theologiae Lutherus sibi informaverit demonstrant. Cum enim ordo theologorum noster propter huius diei solemnitatem et piam Lutheri memoriam aliquot viros de sacris literis et de ecclesia bene merentes summis in theologia honoribus ornare decreverit, meque promotorem constituerit, haud abs re mihi visum est, hoc potissimum argumentum praefationis loco tractare.

Postquam Lutherus, vigesimum quintum vitae annum agens, anno sexti decimi saeculi octavo, e monasterio Augustinianorum Erfordiensi in Academiam Vitebergensem nuper conditam vocatus erat, physicam et philosophiam, invitus quidem, docere iussus est. Ita scribit mense Maio anni sequentis ad amicum, Braunium, sacerdotem Isenacensem: „Sum itaque nunc iubente vel permittente Deo Wittembergae. Quod si statum meum nosse desideres bene habeo Dei gratia, nisi quod violentum est studium maxime philosophiae, quam ego ab initio libentissime mutarim theologia, ea, inquam, theologia, quae nucleum nucis et medullam tritici, et medullam ossium scrutatur*)." Apparet ex his verbis, Lutherum iam tum animo alienissimum fuisse a theologia scholastica, et hoc sibi persuasisse, scripturam sacram limpidissimum religionis et theologiae esse fontem. Igitur Reformationis summum principium iam tum animo conceperat, ita ut in pectore eius non lateret sed ferveret. Non mirum igitur eum, cum mox Baccalaureus ad Bibliam, sic tum dicere consueverant, factus esset, contra philosophiam scholasticam disputare coepisse. Hanc rem Mathesius, Lutheri discipulus ac familiaris, in prima concionum, quas de vita Lutheri habuit, ita refert**): „Alda leget sich unser Frater Martinus auf die heilige Schrift und fähet an, in der Hochschul

*) De Wette, Luthers Briefe. Berlin 1825. Th. I. p. 6.

***) Mathesius, Historien des D. L. in 17 Predd. Leipzig 1806. p. 13.

zu disputiren wider die Sophisterei, so dieser Zeit allenthalben in Schwank ging. Und weil damals aus dem Meister von Hohensinnen (innuit Aristotelem) neben Thoma von Aquin, Scoto, Alberto in allen Schulen, Klöstern und Predigtstühlen der Grund des Christenthums geleet ward, fähet unser Frater Martinus an, wider ihre principia zu disputiren und nach dem rechten Grund unsrer Seligkeit zu fragen, und hält der Propheten und Apostel Schrift, die aus Gottes Munde herfürbracht ist, höher, gründlicher, gewisser, denn alle Sophisterei und Schultheologiei, darüber sich schon der Zeit gute Leute trefflich verwunderten. Doctor Mellerstadt, welcher damals lux mundi oder ein Doctor in der Erzenei, Juristerei und klösterlichen Sophisterei war, konnte des Münchs Argument und solutiones auch über seinem Tische nicht vergessen. Der Münch, hat er oft gesagt, wie ich aus seines Bruders, Er Valtens, Munde vielmals gehört, der Münch wird alle Doctores irre machen, und eine neue Lehre aufbringen, und die ganze römische Kirche reformiren; denn er legt sich auf der Propheten und Apostel Schrift, und stehet auf Jesu Christi Wort, das kann keiner weder mit Philosophie, noch Sophisterei, Scotisterei, Albertisterei, und dem ganzen Tardaret, umstossen und widerfechten.“ Quod si haec dixit Mellerstadius, de quo dubitare non licet, erat haud dubie vir sagacissimus et prudentissimus, et, quod rarissimum est, verus propheta. Anno illius saeculi duodecimo, Staupitius, qui Lutheri eximium ingenium et divinas dotes seu charismata probe noverat, ipsumque magni faciebat et amabat, Lutherum cohortatus est, ut summos in theologia honores capesseret. Aliquamdiu Lutheri modestia restitit, suam et corporis et animi imbecillitatem, quae tanto oneri impar esset, praetendens. Cum vero Staupitius urgere non destitisset et admoneret, Deum ipsum eius opera et labore opus habere, atque addidisset, electorem Fridericum sumtus facturum esse, Lutherus tandem victus, Lipsiam

profectus est, ut pecuniam ex fisco erogaret. Qua pecunia accepta*) Vitebergam reversus quarto Octobris die Licentiatus et nono decimo die Doctor theologiae creatus ac publice renunciatus est. Ipse Augustinianos Erfordiensis singulari epistola invitavit, ut huic solemnitati interessent, ex quo apparet, quantum momenti posuerit Lutherus in hoc doctoris theologiae titulo. Ita scribit: „*Ecce instat dies S. Lucae qua ex obedientia Patrum et reverendi patris Vicarii (Staupitii scilicet) mihi celebrabitur aula cathedralis in theologia, sicut credo ex literis reverendi Patris nostri Prioris Wittembergensis abunde intelligere Paternitates vestras. Omitto meam mei ipsius accusationem et insufficientiam, ne etiam ex humilitate superbiam aut laudem quaerere videar: Deus scit, scit et conscientia mea quam dignus et quam gratus ad hoc ostentum gloriae et honoris sim. Proinde obsecro per misericordiam Christi, primum ante omnia, ut me communibus suffragiis Deo commendare velitis sicut iure charitatis meos in hac re debitores vos esse scitis, ut sit mecum voluntas eius beneplacita et benedicta: deinde, si qua commoditate fieri potest, adesse et interesse huic pompae meae, ut verum fatear pro honore religionis et praecipue vicariatus nostri, dignemini. Non auderem ego Paternitates vestras sollicitare ad tanti itineris molestiam et expensarum fusionem, nisi quia et reverendissimus Pater Vicarius commisit, et quia indecorum, indignum quoque ac scandalosum visum fuit, vobis Erfordiensibus ignorantibus ac non vocatis me ad tantum fastigium ascendere**).*“ Nec tamen his instantissimis precibus Erfordiensis monachi, confratres Lutheri Augustiniani, exorari se passi sunt, ut venirent: quin potius si non ira, invidia certe excanduerunt in eum et periurum eum fuisse dictitarunt, quod Vitebergae, non Erfordiae summos in theologia honores petiisset. Quam calumniam a se amoliri studuit Lutherus in epistola ad ipsos data, his fere verbis: „*Non ideo sum*

*) De Wette, Br. L. Th. I. p. 11. (50 ff.) **) L. I. p. 10.

periurus, quia alibi promotus sum. Scit enim utraque Universitas et vos omnes, quod principium in Bibliam, in quo solitum est iurare, Erfordiae non feci, nec sum mihi conscius ullius iuramenti in toto cursu meo facti*)." De solennitate, qua Lutherus doctor theologiae creatus ac renunciatus est, exstat in actis facultatis theologiae Vitebergensis publicum testimonium, quod nunc recitare placet, quo certius constet de externa Lutheri ad doctoratum theologicum vocatione**). „Anno Domini millesimo quingentesimo duodecimo sub decanatu Andreae Carolostadii in die sancti Francisci collata est licentia magistrandi in sacra theologia religioso patri, Martino Lüder, artium magistro et fratri Augustiniano. Decima octava Octobris, quae fuit festivitas sancti Lucae, religiosus pater, Frater Martinus Lüder, ordinis Eremitarum sancti Augustini, theologiae Licentiatus, hora prima pomeridiana secundum formam statutorum a magistro nostro eximio domino Archidiacono ecclesiae omnium Sanctorum Andrea Bodenstein, Carollstadt, vesperiatu est***) praesentibus dominis de Universitate plurimisque aliis venerabilibus hospitibus. Sequenti die ad pulsum maioris Campanae congregatis ut prius patribus et hospitibus, idem pater a praefato magistro nostro Andrea doctoralibus insigniis in sacra theologia secundum formam statutorum

*) De Wette, I. I. p. 12.

**) Foerstemann, Liber Decanorum Facultatis Theol. Academiae Viteb. ex autographo. Lips. 1838. p. 13.

***) Du Fresne Gloss. *Vesperia*, ultimus, uti vocant, actus in Universitatibus ad consequendam Doctoris dignitatem, seu Disputatio, quae fit à Baccalario pridie quam *Birreto* doctorali donetur, in qua disputant tres Doctores cum eodem Baccalario. Statuta Fac. theol. in Acad. Viennensi in Austria tit. 16. „Post haec vesperiae Licentiati secundum modum Parisiis consuetum, quem hic recipimus, sic fiant: quod per aliquot dies, ante scilicet decem vel circa, Licentiatus vesperandus in cappa venit una cum bedellis per domos omnium Magistrorum et Baccalareorum formatorum, portando eis titulum quaestionum quatuor, quarum duae disputandae sunt in vesperiis, et duae in Aula.“

est insignitus. Galli fuerunt Magister Wenczeslaus Linck Augustinianus et Magister Nicolaus Viridimontanus ecclesiae parochialis pastor. Praefatus insuper doctor novellus dedit danda. Vicesima secunda die Oct. reverendus pater, magister noster, Martinus Luder in senatum theologicum iuxta facultatum statuta relatus est.“ Hoc modo his ritibus ac ceremoniis Lutherus doctor theologiae solemniter creatus ac renunciatus est. Pro more istius aevi iureiurando doctorali obstrictus est, docere ad normam prophetarum et Apostolorum, omnisque generis haereticos debellare. Cum vero isto tempore haeretici haberentur, qui a corrupta ecclesiae doctrina aversi ad purioris, biblicae scilicet, doctrinae formam adcommodate docerent, e. g. Hussus, non dubitavit Lutherus priorem iurisurandi partem alteri praeponere, atque sic reformationis animum induere, reformationem ecclesiae inchoare, et quantum per illius saeculi ingenium liceret perficere. Quod ipse postea in articulis Smalcaldicis^{*)} gravissimis verbis professus est, *hanc esse regulam, ut videlicet verbum Dei condat articulos fidei, et praeterea nemo, ne angelus quidem, hanc sententiam animo peritus infixam iam tum habuit, eamque iureiurando doctorali praestito ita confirmatam fuisse, ut quasi cum eo coaluerit, inde apparet, quod ex hoc iuramento ius imo officium reformandi derivaverit, atque ex eo unicum fere solatium inter innumeras aerumnas, calumnias, molestias, labores et animi angores, quibus dum spiraret vexatus et tantum non oppressus est, hauserit. Quod breviter Mathesius de doctoratu Lutheri loquens, in prima concione his verbis exposuit^{**}). Dieses ordentlichen und öffentlichen Berufs, so ihm von einer bestätigten und löbl. Universität, im Namen und auf Befehl der hohen kaiserlichen Majestät und des Stuhles zu Rom, nach Rath und Beschluss seiner*

^{*)} P. II, 2. p. 308. R.

^{**}) A. a. O. S. 16.

Präceptorn und fürgesetzten geistl. Obrigkeit und auf gnädigste Beförderung und Darlag seines Churfürsten und Landherrn aufgetragen und auf seinem theuern Eide, den er Gott, der heiligen Schrift und der Universität zu Wittenberg gethan, hat er sich oft in grossen Nöthen und Kämpfen getröstet und aufgehalten, wenn ihm Teufel und Welt hat wollen Angst und bang machen: Wer es ihm befohlen und wie er es verantworten wolle, dass er ein solch Wesen in der ganzen Christenheit anrichte, da, sage ich, hat er sich seines ordentlichen Doctorats und öffentlichen Befehls und theuren Eides erinnert und getröstet, und darauf er seine (zwar Gottes) Sachen im Namen Christi mit Ehren und vieler Leute Seligkeit, unerschreckt fortbracht und mit Gottes Hülf redlich hinausgeführt hat.

Lutherus igitur, postquam doctor factus et ad Biblia obstrictus erat, ita sensit ac docuit, in sola sacra scriptura propositum esse verum Christum seu fidei ac vitae normam, eamque regulam unicam esse, ex qua omnis hominum traditio, Patrum dogmata, Scholasticorum commenta, conciliorum ac pontificum decreta, philosophorum placita, metienda et si Scripturae contradicant repudianda sint; nihil nisi verbum Dei in sacris libris expositum in ecclesia valere, itaque omnem doctorum ecclesiae operam in cognoscenda et docenda veritate prophetice et apostolicis scriptis comprehensa versari debere. Ipse de hac re innumeris locis uberius exposuit, quorum duos nunc afferre placet, qui tam clare loquuntur, ut de eius sententia dubitari non possit. In convivalibus sermonibus haec leguntur*): Ein Doctor der heiligen Schrift soll die Bibel gar können und gefasst haben. Item wie die Propheten in und auf einander gehen, nicht allein ein Stück, dass einer Esaïam kann, nicht allein einen Artikel vom Gesetz und Evangelium. Copiosissime et

*) W. W. T. XXII. p. 1066.

gravissime de eadem re agit Lutherus in libro sacri spiritus plenissimo ad nobilitatem germanam anno istius saeculi vigesimo publice scripto, cui haud dubie nullus alius aequiparandus est, et quam tubam reformationis esse haud inepte dixeris. Ita dicit*): Meine lieben Theologen haben sich aus der Mühe und Arbeit gesetzt, lassen die Biblien wohl ruhen und lesen Sententias**). Ich meine, Sententiae sollten der Anfang sein der jungen Theologen und die Biblia Doctoribus bleiben; so ists umgekehrt, die Biblia ist das erste, die fährt mit dem Baccalariat dahin, und Sententiae sind das letzte, die bleiben mit dem Doctorat ewiglich; dazu mit solcher heiliger Pflicht, dass die Biblien mag wohl lesen, der nicht Priester ist, aber Sententias muss ein Priester lesen, und könnte wohl ein ehrlicher Mann Doctor sein in der Biblien, als ich sehe, aber gar nicht in Sententiis. Was solt uns Glück widerfahren, wenn wir so verkehrt handeln, und die Biblien, d. h. Gottes Wort, so enthinder setzen? Dazu der Papst gebeut mit vielen gestrengen Worten seine Gesetze in den Schulen und Gerichten zu lesen und brauchen; aber des Evangelii wird wenig gedacht. Also thut man auch, dass das Evangelium in Schulen und Gerichten wohl müssig unter der Bank im Staube liegt, auf dass des Papstes schädliche Gesetze nur allein regieren mögen. So wir denn haben den Namen und Titel, dass wir Lehrer der heiligen Schrift heissen, sollten wir wahrlich gezwungen sein, dem Namen nach, die heilige Schrift und keine andere zu lehren. Wiewohl auch der hochmüthige, aufgeblasene Titel zu viel ist, dass ein Mensch soll sich rühmen und krönen lassen einen Lehrer der heiligen Schrift; doch wäre es zu dulden, wenn das

*) W. W. T. X. p. 382. §. 144 sqq.

***) Sententias cum dixerit Scholasticorum decreta, ab iisque tractandis avocari voluerit doctores ecclesiae, haud dubie nostra aetate dogmaticae publicae scholasticam formam et materiam improbaturus esse censendus est.

Werk den Namen bestätigte. Nu aber, so Sententiae allein herrschen, findet man mehr heidnische und menschliche Dünkel, denn heilige gewisse Lehren der Schrift in den Theologen. Wie wollen wir ihm nu thun? Ich weiss keinen anderen Rath, denn ein demüthig Gebet zu Gott, dass uns derselbe Doctores theologiae gebe. Doctores der Kunst, der Arznei, der Rechten, der Sententien mögen der Papst, der Kaiser und Universitäten machen; aber sei nur gewiss, einen Doctor der heil. Schrift wird dir Niemand machen, denn allein der heilige Geist vom Himmel, wie Christus sagt: Joh. 6, 45. Sie müssen alle von Gott gelehrt sein. *Quare etiam conqueritur in Ep. 1518 scripta de ignorantia Bibliorum inter theologos vulgari. „Prope est, ut iurem, inquit, nullum esse theologum scholasticum, qui unum capitulum Evangelii vel Bibliae intelligat praesertim Lipsiensem (Hieronymum Ochsenfarth intelligit) nisi id est Evangelium nosse, syllabas pronunciare, utcunque tamen*).* Et in ep. ad Iodocum Erf. eodem anno scripta**) his utitur verbis gravissimis: *Ego simpliciter credo, quod impossibile sit Ecclesiam reformari, nisi funditus canones, decretales, scholastica theologia, philosophia, logica, ut nunc habentur, eradicentur et alia studia instituantur: atque in ea sententia adeo procedo, ut quotidie Dominum rogem, quatenus id statim fiat, ut rursus Bibliae, et S. Patrum purissima studia revocentur. Tibi videor non esse logicus, forte neque sum; id autem scio, quod nullius logicam timeo in defendenda ista sententia. Ne quis autem existimet, Lutherum Patres et scripturam pari loco habuisse, agite, audite locum ex epistola ad illum Lipsiensem, Hieronymum Düngersheim Ochsenfardanum anno sequenti datam***): „Video te niti Patrum duntaxat auctoritatibus, cum noris nos non recipere ullos nisi iudice Scriptura. Unde, quaeso, possit ullus nostrum*

*) De Wette, l. l. p. 101.

**) Ib. p. 108.

***) Ib. p. 280. 281.

scire, quis Patrum recte dixerit, si Scr. per ipsos duntaxat est intelligenda ac non potius ipsi per Scr. iudicandi. — Satis est sanctos Patres defendisse ab haeresi: ab errore et violenta Scripturae torsione defendi nec possunt nec debent.“ Hac sententia, hoc decreto nititur ecclesia evangelica. Quid mirum, quod ipse sacrae scripturae indefessum dicaverit studium, hos libros diurna nocturnaue manu versaverit. Hoc etiam docet Mathesius*): Da nun dieser Mann ein ordentlicher und berufener Doctor der heiligen Schrift ward, nahm er sich der heiligen Biblia Gottes mit Ernst an, und durchlieset sie wieder mit höchstem Fleiss, und fähet auch an, auf Befehl seines Obersten zu lesen, predigen und disputiren, wie er dieser Zeit viel tröstliche Brief an geängste Gewissen schreibt, darin er getreulich zur heiligen Schrift vermahnet, dieweil man allein aus der Propheten und Apostel Wort Jesum Christum erkennen könne. Von seinem Doctorat an, bis ins 16. Jahr, da er anfähet, wider den Röm. Ablass zu disputiren, nimmt er sich als ein ordentlicher Doctor der heiligen Schrift um die heilige Biblia ernstlich an, darauf er geschworen und gekoren hat, fähet auch an St. Pauli Epistel und den Psalter zu lesen, wie damals D. Staupitz von Amtswegen St. Augustini Bücher und andere Bücher abgeschaffet zu Tische zu lesen und verordnet dafür die heilige Biblia in allen Klöstern zu lesen. Eadem confirmat Iustus Ionas in oratione funebri Islebiae habita: Es ist auch in dem D. M. Luther ein reiche Gnad und grosses Licht des h. Geistes gewesen, rechte wahre Erkenntniss Gottes und Christi, welches er nicht geringert sondern gemehrt hat, durch tägliche fleissige Arbeit in der heil. göttl. Schrift, mit Studiren und Lesen derselben vierzig ganzer Jahr durch, also, dass ihm die h. Schr. durchaus wohl bekannt war; er hat gar viel, viel Mal die Bibel ausgelesen, dass sie ihm ist läufig gewesen. Das hat er

*) L. I. p. 18.

angetrieben von seinem 24. Jahr an, bis in sein 63. Jahr, bis er gestorben, der hohe, theure Mann. Ita Lutherus sacram Scripturam legens, docens, ex ea disputans antequam reformator existeret ecclesiae, studii certe theologici reformator in academia Vitebergensi fuit; quod ipse testatur in epistola ad Io. Langium mense Maio anni XVII. data scribens: *Theologia nostra et St. Augustinus prospere procedunt et regnant in nostra Universitate Deo operante; Aristoteles descendit paulatim inclinatus ad ruinam prope futuram sempiternam; mire fastidiuntur lectiones sententiarum, nec est ut quis sibi auditores sperare possit, nisi theologiam hanc, id est, Bibliam aut St. Augustinum aliumve ecclesiasticae auctoritatis doctorem velit profiteri* *).

Nova sane tunc lux affulsit ecclesiae exorto Luthero, qui Sententiarum, Scholasticos, philosophos, imo Patres quoque de suo ipsorum regno depellebat, atque magistros ecclesiae ad S. Scr. revocabat **). Hoc igitur animis vestris infigite, Commilitones theologiae studiosi, quotquot adestis, neminem verum esse Lutheri discipulum et asseclam, nisi qui omnibus hominum traditionibus, Patrum et philosophorum decretis contentis atque explosis ex sola sacra Scriptura divinam doctrinam hauriendam eamque et docendam et vita exprimendam esse iudicet.

Dies deficiat, si nunc demonstrare velim, qualis et quantus fuerit S. Scripturae doctor et enarrator vir ille immortalis, cuius memoriam hodie recolimus; si exponere velim quanta volumina exegetica conscripserit; quanta vi et quanta dexteritate in orationibus sacris libros divi-

*) De Wette, l. l., p. 57.

***) Cf. de Wette, L. Br., T. II. p. 51. „Si enim omnia hominum iura fregimus et iura eorum abiecerimus: quid adhuc moretur nos si unctus, rarus non sit, et coniux sit (sacerdos)? — Populo opus est prae omnibus verbo Dei.“ Nihil tamen minus ingenue fatetur l. l. p. 175. „Virtus autem verbi vel adhuc latet vel nimis modica est in omnibus nobis, quod miror valde. Sumus enim iidem, qui antea, duri, insensati, impatientes, temerarii, ebrii, lascivi, contentiosi.

nos tractaverit; quantum meruerit de ecclesia et de populo germanico, de aequalibus suis et de posteris saeculis ista versione Bibliorum, quam praeclarissimum monumentum et nunquam interiturum summi ingenii sancti spiritus et mirabilis artificii post se reliquit. Ne Erasmus quidem Roterodamus, vir sui aevi summus, dubitavit dicere, imo dicere solitus est: „Neminem esse interpretem dexteriores omnium, quorum extant literae post apostolos. Et audiivi ipse sapientes et graves viros ac doctrinam ecclesiae intelligentes idem de Luthero praedicare, nec obscura res est iudicium et candorem in lectione adhibenti.“

In honorem talis ac tanti theologiae Doctoris ordo noster aliquot viros bene de ecclesia pro viribus suis et donis a Deo datis merentes hae diei solemnitate et opportunitate oblata doctores Theologiae creare decrevit. Neque quisquam obiiciat, cum Lutheri sentiendi ratione, quippe qui per Sp. S. veros Doctores theologiae creari dixerit, hoc non convenire. „Imo, Foersteri *) verbis utor, non solum non improbavit Gradum in Theologia Doctoralem Lutherus; quin etiam suum Doctoratum academicum pro clypeo omnibus omnium tentationum adversitatum et criminationum telis fortiter opposuit. Gradus enim Doctoratus academici et dona spiritus sancti, a quibus omnes vere Christiani et speciatim Ministri Ecclesiae Doctores sacrae scripturae nuncupantur, non adversa sunt sed diversa, non contraria sed subordinata, adeoque qui in Academia creatur Doctor, is etiam potest, imo debet esse Doctor Sacrae Scripturae, a Sp. Sancto donis idoneis et necessariis ad Gradum illum academicum instructus.“

Commodissime ergo iure suo eoque optimo ordo meus utitur in doctoratus nomine et honore viris cum de rebus tum de literis sacris optime meritis ac merentibus hodie impertiendo.

*) L. l. p. 14. 15.

Quod igitur Deus ter Optimus Maximus bene vertat, et felix,
faustum, fortunatumque esse iubeat,

Ego **AUGUSTUS LUDOVICUS GOTTLOB KREHL**, Islebiensis,
Sacrarum Scripturarum Doctor, Theologiae Professor Publicus Ordiniarius,
Ordinis Theologorum Lipsiensium h. t. Decanus et promotor
in hunc actum legitime constitutus,

(sequuntur nomina)

Hos omnes ac singulos absentes

Theologiae Doctores

creo, creatos renuncio, renunciatos proclamo, proclamatos ab omnibus
tales agnoscendos, appellandos et habendos esse publice significo et
iubeo, in nomine Patris, Filii et Spiritus Sancti.

Quod superest suppliciter et enixe precor Deum ter Optimum
Maximum, ut his Theologiae Doctoribus larga tribuat Sp. S. dona,
atque sua gratia efficiat, ut fide pleni aeternam veritatem per Iesum
Christum servatorem ac Dominum nostrum patefactam constanter in
suam ipsorum et ecclesiae evangelicae salutem amplectantur, profiteantur,
doceant, ad promovendum regnum coeleste omnes animi et corporis vires
intendant, et sic summo animarum Episcopo gratias debitas referant
ac placeant.

APPENDIX I.

His subiungi placuit ea, quae in Libro decanorum Academiae
Vitebergensis de **Luthero** in promotionibus theologicis occupato annotata
reperiuntur, ut hanc ceremoniam auctoritate **Lutheri** confirmatam neque
ab eo improbatam esse omnibus pateat. Denique etiam mortis **Lutheri**
commemorationem in hoc libello auctore **Phil. Melanthe** factam sub
finem addendam esse indicavi.

A. D. 1514. Idem pater (Ioannes pictoris lippiensis), respondit sexta feria
post luciae praeside Magistro nostro *Martino lude* Augustiniano iuxta statutorum

formam Et admissus est atque vicecancellario oblatu, licentiatuque in privato Sabato post luciae et secunda feria post in publico. dedit danda et insuper omnibus professoribus et licentiatu bonum prandium.

A. D. 1515. Sub decanatu aestivo eximii p. Magistri *Martini Luder Mansfelden*. facta sunt ea, quae sequuntur.

Nona die Septembris vesperati sunt Religiosi patres Magistri *Tilomannus schnabell* ex *alsfeldia* Hassiae: *Iohannes pictor* ex *Lippia* Vestphaliae. *Andreas Hoffrichter* ex *Minderstadt* Franconiae et *Melchior Mirisch* ex *Dresden* Misnae, omnes Augustiniani Eremitae per Eximium p. Magistrum *Martinum Luder*. Et in Crastino die Sanctorum Martyrum prothi et Hiacinti per eundem solenniter Doctoralibus sunt insigniti. Caeteraque omnia secundum statuta Diligenter observata fuerunt. Emancipator fuit Magister Eximius *Petrus Lupinus*. Galli Reverendus p. Magister *Iohannes Hergot*, Augustinianus et Eximius Magister *Nicolaus Gronenbergk* pastor Vitebergensis populi. Dederuntque Novelli p. Magistri toti Universitati et Senatui pretiosum et splendidum prandium de benevolentia speciali praesentibus illustrissimo principe et duce *Volgango Comite palatino* etc. Rectore nostrae Universitatis et Nobilibus et Generosis Comitibus de *Erberstein* et *Regenstein*¹⁾ aliisque pluribus hospitibus.

A. D. 1516. Item venerabilis Pater Frater *Ioannes Frosch Bambergensis*, Carmelita Sacrae theologiae baccalaureus formatus Tholosensis Presidente sibi Magistro nostro eximio *Martino Luder* etc. feria quinta post fabiani et sebastiani Martyrum respondit pro licentia. Ac in sacrae theologiae licentiatum promotus est per Magistrum *Petrum Lupinum* etc. feria tertia post conversionis Divi apostoli Pauli.

In fine eiusdem decanatus magistri nostri eximii *Ioannes Hergoth* et *Martinus Luder* Augustinianae religionis Eremitani convenerunt inter se, quod deinceps praesidere caeterosque dignitatis ac honoris actus secundum promotionem et non ad facultatis receptionem debent exercere, consentientibus senatoribus eiusdem facultatis.

Anno Domini 1517²⁾. Sub decanatu Eximii p. Magistri *Martini Luther Mansfelden*. facta sunt ea, quae sequuntur.

Die Vicesima prima Augusti Venerabilis d. Magister *Franciscus Guentherus Nordhusen*. praesentibus Dominis de facultate in Collegio petiit admitti ad responsionem pro Biblia Et admissus est. Responditque die quarta septembris praesidente Eximio patre *M. Martino Luther* Decano facultatis et uno consensu Dominorum in Biblia admissus est.

1) *Bernhardo* Comite de *Eberstein*, Eccles. Treveren. et Argentin. Canonico, et *Vdalrico* Comite de *Regenstein* et Domino in *Blanckenburg*.

2) Seqq. *Lutherus* scripsit.

Item venerabilis pater *Symon Caesar* Sacrae theologiae baccalaureus Eremitarum Sancti Augustini Herczbergen. prior praesidente sibi Magistro nostro eximio *P. Martino Iuder* Quinta die februarii pro formatura respondit Et Patrum unanimi consensu admissus est. Nec non undecima die eiusdem mensis principium solenne In tercium fecit atque formatus est.

Anno 1520. Pro admissione ad bibliam Tercia die februarii venerabilis pater *Henricus Greiff* Cistercien. Zinnen. respondit: praesidente *R. P. Martino Luthero* Augustiniano, Ac nona die eiusque est promotus: facultatique theologiae prandium splendidum de benevolentia liberali dedit.

Respondit pro bibliis Venerabilis vir *Iohannes Schlachynn* hauffenn e Moravia. feria quarta post iudica quae fuit vicesima Marci. Sequenti die promotus sub *R. p. Martino Luthero* praesidente.

A. D. 1522. Die III. Februarii sunt consecuti quisque suum doctoratum eximii viri *F. Ioannes Westermannus* et *Gotschalkus Crop* Augustinen. promotore *Carolstadio*. Istum palam testabatur post hoc se ne ullum in quemvis gradum subverturum¹⁾.

Anno Domini MDXXXIII. XVI. mensis Iunii die quo hinc abierunt nuntii Caes. Maiestatis et Romani Pontificis, qui missi erant in causa concilii congregandi generalis propter controversias, quae nunc sunt apud Germanos de rebus fidei et religionis^{*)}. Venit huc *Vitebergam* Illustrissimus princeps et D. D. IOHANNES FRID. S. Ro. Imp. Elector una cum clarissima Domina, *D. Sybilla*, ducissa Saxoniae etc. S. C. uxore. Altero die, quae erat XVI. Iunii, Cum ad principem vocati essent Doctor *Martinus*, *D. Philippus*, *D. Pomeranus*, *D. Ionas* ad consulendum et deliberandum de Synodo generali, de qua egerant legati, forte in colloquio cum principe sermo incidit, paucos nunc esse in ordine Theologico, quibus pro more scholarum, publice et solenni ritu tituli collati essent doctrinae. Et cum

1) Lutherus adscripsit haec. Et ego testor hac mea manu me in eodem actu affuisse Et etiam has sacrilegas voces ex ore eius blasphemio audisse (sed quibus tunc palam reclamare non licuit): Ego prudens facio impie, quod propter ii flor. promoveo. Et contendebat ex Matth. 23. neminem esse vocandum patrem aut Magistrum in terra, sed unum esse Magistrum et patrem in coelis etc. Ex quibus intelligitur, quo spiritu ceperit suam Theologiam. *Mart. Luther* m. propria.

*) Cf. Lutheri epistolam die XVI. Iunii ai. eid. ad Nic. Hausmann datam (de W. l. l. IV, p. 453.) ex qua apparet Principem ante diem XVI. Iunii venisse Vitebergam.

Doctor *Martinus* ibi dixisset iam brevi futurum, ut doctoralia insignia acciperent *Gaspar Crucigerus*, *D. Ioannes Pomeranus* et *Ioannes Aepinus*, Illustrissimus ultro subindicare cepit, imo palam ostendere, sibi gratum futurum esse, ut apparatus promotionis talium virorum se praesente intra triduum celeriter fieret, illico clementer pollicitus, se subministraturum sumptus, auditurum disputationem, inter futurum aulae doctorali.

Cum ergo alias inter patres Senatus Theologici, accedente suffragio Doctoris *Martini Lutheri*, iam ante convenisset, ut *Gaspari Crucigero* et *Ioanni Pomerano* in testimonium excellentis eruditionis et pietatis solemnem ceremoniam, quemadmodum mos vetus traditus est, conferrent insignia Doctorum Theologiae, visum est incivile tali Principi, tali pietatis et literarum patrono, rem honestissimam petenti non prolixè et promptissime obsequi. Proinde eodem adhuc die, vesperi, a *D. Philippo Melanchtone* sunt themata de Fide, de Ecclesia, de traditionibus humanis scripta, ad quae altero die, praeside doctore *Martino*, responderunt iam dicti, *Crucigerus*, *Pomeranus* et *Ioannes Aepinus*. Argumentatus est ipse Philippus, et quidam alii Theologiae studiosi, inter hos Doctor *Antonius Anglus*, *D. Alexander Scotus* etc. Illustrissimus Princeps Elector ipse dignatus est assidere et interesse disputationi a principio usque ad finem. Una cum sua Cel. interfuerunt Clarissimus princeps *Iohannes Ernestus*, dux Saxoniae, Frater Electoris et praeterea Illustrissimi Principes et d. d. *Franciscus Lüneburgensis*, *D. Magnus Megelburgensis*, *Ernestus* dux Brunsvicensis filius Philippi, Comes a *Gleichen*, Reverendus et clarus vir *D. Wolfgangus Reisenbusch* praceptor Liechtenbergensis, huius scholae Cancellarius, Doctor *Ioannes Rüel*, Card. Moguntini Consiliarius, *D. Georgius Spalatinus* Electoris a sacris concionibus. Deinde inter proceres aulae *D. Ioannes Metzsch Landvoigt*, *D. Ioannes a minckwitz* praefectus aulae Hofmeister, *D. Bernhardus a miel* et plerique primae Nobilitatis. Sub haec finita disputatione missus nomine Rectoris totius universitatis et patrum Senatus Theologici *D. Iona* ut ageret S. Celsitudini gratias, quod literis et literatis omnibus, imprimis ordini et nomini Theologico hunc praecipuum dignatus esset habere honorem, quem et Elector praesentib. principib. omnib. et aulicis clementer audivit, et aulae doctorali eadem humanitate se inter futurum clementer et ultro pollicitus est. Deinde XVII. Mensis Iunii, mane hora octava solemnem ceremoniam et apparatus In templo arcis aula instructa et cepta est doctoralis, et promotore *D. Iusto Iona* publice in sacrae Theologiae magistros et doctores promoti sunt *D. Gaspar Crucigerus* Lipsiensis, *D. Ioannes Bügenhagen Pomeranus* pastor Ecclesiae *Vitebergensis* et *D. Ioannes Aepinus* Superattendens *Hamburgensis* et In Licentiatum Theologiae promotus est *Nicolaus Glossen* et sumendi insignia doctoralia potestas facta est eidem *D. Nicolao Gloseno*, futuro concionatori in insigni urbe Reüel. Christus det optimis viris,

ut hoc publico testimonio et gradu ac titulo in Ecclesia utantur ad gloriam Dei omnipotentis et salutem animarum. Prandium splendidum et per omnia Regium suo sumptu Illustrissimus princeps Elector dedit in arce, omnibus Doctoribus et magistris et plerisque huius professionis scholasticis, mensae numeratae plus minus XVIII aut XX. Hac munificentia princeps suam voluit declarare erga hanc scholam voluntatem. Quare minora etiam ascribere voluimus, ut posteri intelligant, qua singulari propensione animi, quo amore Illustrissimus princeps sub primum annum suae gubernationis erga doctores Evangelii et studia pietatis fuerit.

Sub decanatu *Iusti Ionae* p. 1533.

Receptus est ad facultatem, facta promissione debita*) Eximius vir D. *Gaspar Crucigerus*, in domo decani *Ionae* Sabb. post Galli. condonatus illi I fl., de quo in statutis.

Sub decanatu D. *Mart. Lutheri* anno 1535.

Receptus est ad facultatem, facta promissione debita, Eximius vir d. *Ioannes Bugenhagen*, pomeranus Vittebergensis Ecclesiae nostrae pastor dignissimus, in domo praefati Rev. patris nostri D. *Martini*, quinta feria post Exaltationis Crucis.

Undecima die Septembris Responderunt pro Licentia in sacra Theologia Venerabiles viri D. *Hieronymus Weller* a Freyberga Misnae et D. M. *Nicolaus Medler* etc. Et admissi sunt iudicio Dominorum de facultate, praesedit D. *Martinus Luther*. Deinde XIV die scilicet Exaltationis s. Crucis publico more sunt promoti et doctoralibus insigniti. Promotor fuit D. *Iustus Ionas*, Dederuntque danda et splendidum prandium**) idque de bona voluntate.

Anno Domini 1536. Sub Decanatu D. *Martini Lutheri*.

Decima Die Octobris responderunt pro Licentia in sacra Theologia Venerabiles viri Domini M. *Iacobus Schenck* et D. *Philippus Moth*, et admissi sunt. Praesidens fuit D. *Mart. Luth.*

A. D. 1537. Sub Decanatu D. *Martini Lutheri* continuato ita volentibus patribus Conscriptis praeter morem etc. Die prima Iunii responderunt pro Licentia in sacra Theologia Venerabiles viri D. *petrus palladius*, Danus Et d. *Thilomannus*. N. Licentiatus Lovaniensis etc. Et admissi sunt. Praesidens fuit D. *Martinus Luther*.

*) Hic primum *promissionis* a Promovendis vel in facultatem Recipiendis exactae mentio fit. Cum in solempni illa promotione Crucigeri nihil eius rei commemoratum sit, sequitur, intra XVII. M. Iunii et XVI. M. Octobris anni 1533, qui dies *Galli* est, sancitum fuisse religionis iuramentum Promovendis in Theol. praestandum.

**) Contulisse iuravit Lutheri duas ea de re epistolas iocosas ad *Ionam* datas. De Wette l. I. T. IV. p. 628. 629.

Anno 1538. Sub decanatu continuato D. *Martini Lutheri*, inviti scilicet et coacti,

Respondit pro Licentia in sacra Theologia D. Venerabilis *Cyriacus Gerichen* ex *Cerbist*, pastor *Bernburgensis*. Die sexta septembris. Et admissus est. Praesidens fuit D. *Martinus Luther*.

Anno 1540. Sub Decanatu D. *Martini Lutheri* continuato. Respondit pro Licentia in Sacra Theologia D. Venerabilis Magister *Ioachim Morlin* *Wittembergensis*, pastor in *Arnstet Thuringiae*. Praesidens fuit D. *Martinus Luther*.

Anno Domini 1542, Die Februarii Tertia sub Decanatu D. *Martini Lutheri*, hactenus perpetuo Respondit pro licentia in sacra Theologia Venerabilis vir D. *Iohannes Maccabeus Scotus*, Bacularius Theologiae formatus *Coloniensis*, praesidens pariter et promotor fuit D. *Martinus Luther*. Sexta die sequente promotus coram tota Universitate Insignitusque doctoralibus. Deditque personalia mihi. Sed fisco per alios satisfacit, vocatus a Danorum *Christiano* piissimo Rege ad munus Ecclesiarum gubernandarum.

Anno eodem Septima Iulii respondit pro licentia in sacra Theologia Venerabilis Vir D. Magister *Henricus Lunenburgensis*. praesidens fuit D. *Martinus Luther*.

Anno 1543. die Februarii 16. sub Decano D. Martino Luthero Respondit pro licentia in sacra Theologia Venerabilis vir Dominus Magister *Ioannes Marpach Lindoensis*. Vocatus pastor in Ecclesiam *Isni* praesidens fuit D. *Martinus Luther*, promotor D. *Ioannes Pomeranus*, pastor *Vitemb.* Sequenti fer. 3. promotus coram tota Universitate Insignitusque Doctoralibus. Deditque danda Et prandium magnificum.

Eodem anno Die Aprilis 24, sub decanatu D. *Martini Lutheri* Responderunt pro Licentia in sacra Theologia Venerabiles Viri D. *Hieronymus Noppus* pastor *Regensbergensis* Ecclesiae et M. *Fridricus Backofen Lipsiensis* pastor Ecclesiae *Hammelbergensis* in *Buchonia*. praesidens fuit D. *Martinus Luther*.

Eodem anno 1543. die 24. Augusti Sancti Bartholomei respondit pro licentia in sacra Theologia Venerabilis Vir M. *Erasmus Alberus* pastor in *Staden* prope *Frankfort* ad *Moganum*. praesidens fuit D. *Martinus Luther*.

Anno 1544. die 23. Maii Responderunt pro licentia in sacra Theologia Venerabiles Viri D. *Theodorus Fabricius* et D. *Stanislaus Litanus* *Baccalaureus* formatus Theologiae *Cracoviensis*. praesidens fuit D. *Martinus Luther*.

Anno 1544. Die 12. Decembris Responderunt pro licentia in sacra Theologia Venerabiles Viri M. *Georgius Maior Nurmbergensis* Et Magister *Ioannes Faberius Monacensis*. praesidens erat D. *Martinus Luther*.

Anno 1545. Dominica trinitatis, perpetuato Decanatu eiusdem D. *Martini Lutheri* receptus est D. *Georgius Maior* ad acultatem facta promissione debita.

Anno 1545. Die Iulii tertia Respondit pro Licentia in sacra Theologia Venerabilis vir Magister *Petrus Hegemon Francus*. praesidens fuit *D. Martinus Luther*.

Anno 1546¹⁾. Die 18. Februarii *Martinus Lutherus* Theologiae Doctor, cuius ministerio Deus Evangelii puritatem restituit, ex hac mortali vita in oppido *Isleben* in quo natus fuerat, decessit Anno aetatis suae sexagesimo tertio inchoato. Natus est anno 1483. die decimo Novembris hora undecima post meridiem, ut ex narratione honestissimae matris eius comperimus. Habuit Parentes honestos, qui cum habitassent in oppido *Isleben*, postea migrarunt in oppidum *Mansfelt*. Patris facultates ex venis metallicis mediocres fuerunt. Ipse adolescens cum in *Academia Erfordiana* disceret initia philosophiae, et gradu magisterii philosophici ornatus esset, singulari quodam terrore motus*) vitae monasticae se dedit apud Augustinianos, ut doctrinam Ecclesiae studiosius cognosceret, et maiora haberet exercitia pietatis, quam in sodaliciis quae sibi plus sumunt licentiae. Postea factus est Lector et concionator in monasterio *Witebergensi* et *Witebergae* ornatus gradu Doctorum fuit Lector theologicus. Genus doctrinae ipsius et certamina ex eius libris, qui extant, cognosci possunt. *Islebiam* vocatus erat ad dirimendas comitum controversias, ubi morbo pie et placide ex hac vita discessit.

APPENDIX II.

Promissio, ad quam inde ab anno 1533**) Promovendi in Theologia sive potius Recipiendi in facultatem ab ordine Theologorum *Vitebergensium* adigebantur, his concepta erat verbis.

Ego promitto Deo aeterno patri Domini nostri Iesu Christi Conditori generis humani et Ecclesiae suae, cum filio suo domino nostro Iesu Christo et Spiritu Sancto, Me Deo iuvante, fideliter servitutum esse Ecclesiae in docendo Evangelio sine ullis corruptelis; et constanter defensurum esse Symbola, Apostolicum, Nicenum, et Athanasianum et perseveraturum esse in consensu doctrinae comprehensae in Confessione Augustana, quae per hanc Ecclesiam exhibita est Impera-

1) Quae hic de *Luthero* narrantur *Melanchthon* scripsit.

*) *De Wette* l. l. T. II. p. 101. Ad patrem scribit *Lutherus*: „Dann ich ward je nit gern oder willig ein Münch, viel weniger um Mästung oder des Bauchs willen; sondern als ich mit Erschrecken und Angst des Todes eilende umgeben, gelobt ich ein gezwungen und gedrungen Gelübde.“ Hic est nodus Gordius in vita *Lutheri*, quem nondum quis solvit, plurimi ne tetigerunt quidem. Novissimus idemque doctissimus et uberrimus vitae *Lutheri* explicator *Iürgens* (*Luther*. Erster Bd. Leipzig 1846. p. 514.) vulgarem sequitur fabulam.

**) V. supra ad annum 1533. annotata.

tori, Anno Millesimo Quingentesimo Tricesimo. Et cum incident controversiae difficiles et obscurae, non pronuntiabo solus, sed re deliberata cum aliquibus senioribus, qui docent Ecclesias retinentes doctrinam Augustanae Confessionis. Dicatis: Ita promitto*).

Ab hac promissionis formula Vitebergensi differt iuramentum Doctorum Lipsiensium Statutis Facultatis Theol. Lips., quae anno 1543. auctoritate Principis Mauritii Ducis Saxoniae sancita sunt, comprehensum.

Ego N. iuro me sanam doctrinam Evange. et verbi Christi, Prophetarum et Apostolorum diligenter et fideliter traditurum, Omnia vero nova, externa et haeretica dogmata pro viribus declinaturum et impugnaturum, Ac de iis quoque, qui ad gradus Theologicos adsciscendi sunt saeverum et grave testimonium et iudicium pronuntiaturum esse, Et hanc facultatem et scholam ad utilitatem Ecclesiae et gloriam Christi Ihesu semper dum vivam in omnibus aucturum et ornaturum esse. Sic me Deus adiuvet per Sacrosanctum verbum suum.

) De ordinationis Vitebergensis formula extant duo testimonia Lutheri in epistolis a de Wettio editis T. V. p. 78. coll. p. 129. ad a. XXXVII pertinentibus, s. titulo: Ordinationszeugniss, quorum prius hoc est: „Venit huc Iac. Stigelius Moravus, et ostendit se ab Ecclesia Salsfeldensi ad Diaconi munus vocatum esse, eamque ob causam petiit, ut publica ordinatione, quae fieri solet in Ecclesia nostra, ministerium docendi Evangelii et administrandi Sacramenta sibi committeretur. Cum haberet autem testimonium de vocatione et mores illius Ecclesia Salsfeldensis probaret, nos doctrina eius explorata, comperimus, eum amplecti et recte tenere puram Evangelii doctrinam, quam catholica Ecclesia Christi profitetur, et nos in Ecclesia nostra docemus, et abhorreere ab omnibus impiis et fanaticis opinionibus reiectis iudicio catholicae Ecclesiae Christi et pugnantis cum ea doctrina, quae in Ecclesia nostra traditur. Pollicitus est autem diligentiam et fidem in suo ministerio et promisit, se hanc ipsam doctrinam catholicae Ecclesiae Christi, quam nos profiteremur, pure traditurum et defensurum esse. Itaque iuxta verbum Dei auctoritate Ecclesiae nostrae publica ordinatione confirmata est vocatio, et commissum huic Iacobo ministerium docendi Evangelii et administrandi Sacramenta.“ Nec tamen silentio praetermittendum, in duabus de ordinatione per Lutherum facta relationibus, W. W. XXI. p. 35 et XXII. p. 999. de promissione s. religionis iuramento nihil commemorari. Et cum prima ordinatio a Lutero anno 1525. facta esse narretur (cf. W. W. XXI. p. 35*) sponte in oculos incurrit, tum ad Augustanae formulae doctrinam neminem obstringi potuisse. Tum igitur liberi erant pastores ecclesiae reformatae ab hominum iugo, quod postea imponi placuit.

GUSTAVUS MAURITIUS REDSLOB,

PH. DR., AA. LL. M., IN GYMNASIO ACADEMICO HAMBURGENSE
PHILOLOGIAE SACRAE NEC NON PHILOSOPHIAE PROFESSOR
PUBLICUS.

Ego natus sum d. 21. Maii 1804 Querfurti, quod oppidulum est in Finibus Thuringicis, ubi pater scholae civicae magister et ad templum sacrum aedituus fuit et etiam nunc, postquam iam ante aliquot annos quinquagesimum muneris et matrimonii annum celebravit, cum matre salvus, sed grandaevus et officiis publicis liberatus degit. Reditus patris perexigui alendis septem liberis aegre sufficiebant, maxime quum quibus annis puer domi essem, bellum grave et diuturnum rem familiarem eius plane exhausisset. Itaque ad studium literarum vix essem missus, nisi patri spes facta esset, fore ut, si me disciplinae scholae cathedralis Martisburgensis traderet, ibi stipendia publica et privata beneficia haberem simulque aliquem fructum ex canendi officio perciperem, qui faceret ad vitae usus necessarios tolerandos. Sic anno 1816 Martisburgum migravi nec spes illa patris filium destituit, et, multis quidem et gravibus difficultatibus pressus, per quinquennium institutionibus illius scholae usus sum. Tum vicinam Halam ut me conferrem invitatus sum, ubi largiorum ex cantu redituum spes esset, quod quum eadem scholae ipsius ratio, qualis tum erat, non dissuadere videretur, feci; nec fuit cur poeniteret consilii, quum mox in alumnorum numerum receptus negotiis tempus perdentibus supersederem. Ex orphanotropheo Halensi duobus annis post in academiam Lipsiensem me contuli, ne levissimam quidem suspicionem habens, hac urbe illustri, nunc patria mihi cariore, octodecim demum annis interiectis me discessurum esse. In album academiae me retulit Godofredus Hermannus, tum Rector Magnificus. Lipsia voluit exspectari. Nam decem hic toleravi annos durissimos, donec laetior effulgeret rerum mearum conditio, nec ullum habeo providentiae divinae documentum manifestius, quam quod per tantum temporis spatium tenere potui instituta mea atque eo, quo tendebam, pervenire. Anno 1832, quum iam in academia docendi facultatem obtinuissem, miro quodam casu contigit, ut viro illustri per totam Saxoniam laudatissimo, qui Lipsiae tum multum poterat, notus fierem et ab amicis commendarer, qui de studiis meis edoctus effecit, ut mox a summo administro regio stipendia, postea munus professoris extraordinarii et tandem, intercedente alio fautore illustrissimo, salarium annuum adipiscerer. In

qua statione permansi usque ad annum 1841, quo a collegio scholarum Hamburgensi in locum, quem nunc teneo, vocatus sum.

Martisburgi optime de me meritus est et ad regunda studia mea multum fecit b. Landvoigt, scholae tum collega tertius, qui quamvis interdum puerorum lasciviam provocare videretur, tamen amore curaque vere paterna discipulos amplectebatur et multis beneficiis, quae praeceptoris non erant, me afficiebat. In docendis linguis ad formas significationesque verborum primarias interdum quidem tam inexorabilis recurrit, ut unus in coetu serus maneret, ita tamen, ut postea, quum ipse his rebus operam darem, me Landvoigti mei exemplo uti conscius essem. Praeterire hic nequeo, me iam illo tempore singularem linguae Hebraicae amorem concepisse, quem condiscipulus me aliquanto profectior privata opera alere suscepit. Alter conatus postea factus est, quum una cum amico institutiones privatas quaererem apud theologum iuvenem, cui viginti annis interpositis in ultima Germaniae septentrionalis ora reconciliatus sum. Proximis annis propter infirmitatem senilem et discessum praeceptorum disciplina aliquantum fruguit, quae res praecipue me impulit, ut in scholam Halensem transirem. Duobus annis, quos in orphanotropeo exegi, ubi in omni genere bonarum disciplinarum bene praeparabamur, una, quod sciam, res accidit, quae postea res maximi momenti erat. In exercitationibus stili germanici interdum optio nobis facta est prosario poetico concipiendi genere utendi. Laude, quam praelato posteriore genere merebam, excitatus, venam poeticam, quae ea aetate uberius esse solet, diu excolere studui, etiam ita, ut primis annis Lipsiensibus severiora studia interdum negligenter. Quae res mihi cum haud pauca alia commoda tulit, tum complures amicos conciliavit, qui quum postea ad studia severiora incumbere coepissem, mihi multum favebant, quin illa gravissima fortunarum mearum conversio, quam de vita mea decrevisse supra dixi, carmine suo loco et tempore emisso est adducta.

Lipsiam adii theologiae operam daturus, sed post studia philosophica et philologica ad nullam disciplinarum theologiarum vero quodam animi fervore me ferri memini. B. Richter tantum, vir singulari in docendo peritia blandaque elegantia me ad argumenta philosophica, quae tractabat, pellexit et diu retinuit. Etiam Fritschius, nunc clarum decus academiae Gisenensis, quamdiu Lipsiae docebat, in scholis exegeticis me habuit assiduum auditorem; a quo viro celeberrimo etiam ante paucos annos benevolentiam et fiduciam mihi comprobata valde laetatus sum. Similiter, quum Hahnus, nunc academiae Vratislaviensis eximium decus, illo tempore Lipsiam vocatus, scholas Syriacas aperisset, haec studia non sine viri summe venerabilis laude aggressus sum. Sic factum est, ut linguis orientalibus unice omnem operam dare et imprimis Hebraicis literis aliquoties desertis animum appellere et ad academici doctoris munus me praeparare consti-

tuerem, dolentibus parentibus, qui triennium academicum perditum putarent; dissuadentibus amicis, qui quibus auxiliis consilium ad exitum perducerem non intelligerent, intrepidus nec discrimen ullum curans unus. B. Weiske, qui tum professione inter philosophos fungebatur et quocum affinitate eram coniunctus, benigne excitavit, Hahnus autem Rosenmüllero me commendavit, qui vir egregius se mihi semper praestitit liberalissimum. Post tres annos improbo labore peractos Amplissimus ordo philosophorum honoribus suis et paulo post venia legendi me ornavit, ex quo tempore potissimum libros Veteris Testamenti interpretatus sum et scholas de grammatica Hebraica habui.

Institutionibus grammaticae Hebraicae recte rationique convenienter habendis coactus, rerum, quae in hac lingua usu veniunt, causas investigare et explicare, mox occasionem habui, totum lexicon Hebraicum cogitatione perlustrandi. Gesenius lexicon suum manuale vernaculo sermone quartum emittendum paene eodem tempore cum editione latina praeparavit, quod quum Lipsiae typis describeretur, in recensendis emendandisque typhothetarum plagulis me socium adhibuit. Illa ipsa vero aetate nonnulli viri docti aliquam linguarum Semiticarum cum Indogermanicis prima evam cognationem in radicibus linguae Hebraicae maxime conspicuam indagasse sibi visi sunt, et Gesenius, ad sententias, quae exemplis ipsis probari nequeunt, vividius arripiendas non admodum propensus, his lexicis monstrare constituerat, hanc cognationem per omnem radicem Hebraicarum copiam propagatam esse. Ineunte opere conspectu copiae radicum utrisque linguis communium plane abreptus sum. At sensim de hoc illove exemplo non dubitare non potui, maxime postquam intellexi, Hebraica verba interdum secundum solitas leges ex aliis radicum formis posse derivari, quibus nulla cum Indogermanicis, quae comparabantur, similitudo intercederet. Simul animadverti, radices collatas saepius propterea sibi respondere, quod verba essent *ὀνοματοποιητά*, et mox sensi, exempla comparata ibi tantum placere posse, ubi vox Hebraica sit *ὀνοματοποιητή*. Sic denique post emissa lexica Geseniana quum alii attoniti nihil aliud sibi curandum censerent, quam ut suspicionem a Gesenio se aliquid accepisse evitarent, ego omnem inter Semiticas et Indogermanicas cognationem negare, ultimos vero fontes linguarum Semiticarum in sonis res quae audiuntur imitatis ponere coactus sum, ex quibus radices secundum easdem leges derivatae essent, quae etiamnunc in linguis Semiticis deprehenduntur.

In his meis studiis adhuc inprimis ostendendum duxi, complures voces Hebraicas vocumque genera, quae vulgo pro primitivis habentur, pro derivatis esse habendas et legibus derivationis communibus linguae Hebraicae respondere. Praeterea quum leges, quibus ducti prisca Semitae voces formasque linguae derivaverint, non omnes in lucem protractas esse viderem, iis inquirendis operam

dedi, dum exempla vocum exhiberem, quae ad inveniendas et tuendas has leges utiles esse viderentur. Quod aliquot commentationibus inde ab anno 1831 diversis et modis et locis editis factum esse non ignorabunt, qui hoc studiorum genus curant. Restat, ut quae observavi eorumque argumenta ad certam quandam disciplinae formulam revocata doctorum virorum iudicio subiiciam. Verum ex quo Hamburgum migravi, multis rebus distractus et opere maioris voluminis conficiendo occupatus, tempus exspecto, quo studia, quibus potissimum delector, repetere licebit.

ERNESTUS VOLKMARUS KOHLSCHUITTER,
PASTOR ET SUPERINTENDENS GLAUCHAVIENSIS, CONSISTORII
GLAUCH. CONSILIARIUS.

Natus sum Dresdae anno huius saeculi duodecimo ea die, qua instauratorum per Lutherum sacrorum memoria recoli solet, patre Carolo Christiano, qui, dum antiqua regni forma stabat, regi in secretis regni scriiniis a consiliis erat, et matre Christiana Ludovica, Kreysigii medici Heburgensis filia, parentibus optimis. Pater ante hos noyem annos obiit. Matrem adhuc in vivis esse, gratissimo erga deum animo laetor. Pater nomen mihi esse voluit Ernesti Volkmar, mutuatus illud a duumviris, quibus plurima et maxima beneficia accepta referebat, a vitrico Ernesto Mylio et Franz. Volkmaro Reinhardo, summo viro, qui paucis ante me natum hebdomadibus fato functus, magnum sui, praeceptoris olim et amici, reliquerat ipsi desiderium. Diei natalis in ecclesia evangelica potestas nominisque cum Reinhardo consortio haud scio, an aliquid valuerit ad me in theologorum castra deducendum. Hoc mihi constat, praeter me ipsum neminem mihi fuisse eius rei auctorem, nec unquam me de vitae genere eligendo inter consilium trepidasse. Puerilis aetatis suavis mihi est recordatio. Inprimis tangit animum memoria optimorum, quibus usus sum, praeceptorum, prae reliquis beati Sachsii, qui serius apud Plauenses prope Dresdam pastoris munere functus est, Axtii, Niederstrigensium nunc pastoris, et beati Haanii, qui mathesin in academia medica Dresdensi tum profitebatur. Praeter hos magistros etiam pater, quamvis multis magnisque distractus officiis, qui eius erat liberorum amor, studiis meis nunquam defuit, sed ea et imponendo mihi quotidie aliquod pensum et ita moderabatur, ut, quod sub praeceptorum auspiciis tractarem, nunquam negligeret accurate ex me quaerere. Quartum et decimum aetatis annum agentem duxit Misenam, ubi almi Afranei alumnus adscriberer. Ab hoc inde tempore felicissimum degi quinquennium literarum studiis prorsus deditum. Nihil sane comparari potest cum ea voluptate, quam e literarum antiquarum tractatione, e sodalium amicitia, e praeceptorum

benevolentia adfluentissime percepi. Et ex his quidem ingratus essem, si commemorare negligerem Kreyssigium, qui rebus meis optime semper prospexit, et Beckerum, qui me sibi a manibus esse sivit et insignem mei amorem multis modis mihi dectaravit. Nec non nominandus hoc loco Ven. Krehlius, cuius vel in suggestu sacro dicentis facundia, vel hebraicas literas de cathedra docentis doctrina quantum contulerit ad meum rerum theologicarum amorem alendum, non est huius loci exponere. Integrum fere quinquennium hoc modo emensus discessi e schola Afrana, ut, quas literas primis labris gustassem, penitus iam cognoscerem. Anno huius saeculi primo et tricesimo Lipsiam me contuli et a beato Winzero, literarum universitatis tum Rectore Magnifico, in civium academicorum numerum adscriptus sum. Tempus academicum in theologiae studio fere contrivi. Tamen etiam philosophicas, anthropologicas, philologicas, historicas, politicas Krugii, Heinrothii, Hermanni, Wachsmuthii, Poelitzii scholas frequentavi. E theologis autem potissimum audi viros s. Ven. Grossmannum, Winerum, Goldhornium, Niederum, Theilium, Angerum. Winerus privatissimis, quibus cum exigua iuvenum corona de Pauli epistola ad Colossenses data disseruit, scholis me quoque adhibuit. Etiam Saxonum, quas beatus Goldhornius moderabatur, homileticis exercitationibus interesse mihi contigit. Sub fine septimi academici semestris superato examinis periculo candidaque sumta sedem in Ienensem academiam transtuli ibique intra anni spatium Viror. S. Ven. Baumgartenii Crusii, Schwarzii, Hasii, Reinholdii, Friesii, Ludenii, Doebereineri scholis interfui. Beatus Schottus in homileticum, Danzius in catecheticum me recepit seminarium. Nihil nunc dicam de horum virorum fere omnium erga me benevolentia. Hoc a me impetrare non possum, quin singularem favorem commemorem, quo Schwarziius me amplexus est, vir optimus, cuius iucundissima consuetudine vel nunc aegerime careo. In patriam quum reversus essem, beatus Girardetus, coetus Reformatorum tum pastor, me cohortabatur, ut concionatoris, qui ipsi auxilio esset, munus ambirem. Supremum enim, penes quod patriae ecclesiae gubernaculum est, collegium, aduentibus et suadentibus iis, qui in consistorio adsidebant, Lutheranae ecclesiae candidatis ad illud munus adspirandi veniam libenter se concedere declaraverat. Multum ego de ea re dubitavi. Quamvis enim persuasissimum mihi esset, vinculo uno omnium arctissimo ecclesiam Lutheranam cum Reformata coniungi, ita ut omnem dubitationem ab hac parte oriundam facile mihi exeerem, tamen verebar, ne impar essem et aetate et ingenio et auctoritate ad munus ecclesiasticum tam mature suscipiendum. Quod ab animo meo aegre impetraveram facile impetrabam ab iis, penes quos erat muneris istius addicendi arbitrium. Nam quum ego et quatuor alii dicendi specimen edidissemus, ecclesiae patres dignum me iudicarent, cui ministerium illud demandaretur. Itaque exeunte anno

huius saeculi quinto et tricesimo a beato Seltenreichio in ordinem ecclesiae quum rite receptus essem, istam provinciam suscepi, cuius ea erat ratio, ut alternis et dominicis et festis diebus in concionem prodirem, in reliquis vero sacris officiis collegae, si quo egeret, auxilio essem. Atque quum haud parum otii mihi relinqueretur, hoc in tractandis literis instituendisque liberis consumi. Caeterum, quum tempus adesset, quo, quid in theologia profecerim, iterum esset explorandum, a S. Ven. Ammonio, Wahllo, Kaeuffero, Heymanno insigni comitate tentatus sum. Per omne autem, quod Dresdae degi, tempus omnes meas res deus benignissime secundavit. Eorum enim, quorum animas curae meae mandaverat, amorem, collegae amicitiam mihi conciliavit. Coniugii autem sanctissimo foedere lectissimam dilectissimamque mecum colligavit uxorem, Agnesam e gente Stavenhageniana, ex qua tres liberos suscepi et cui omnem, qua domi fruor, felicitatem gratissimo animo acceptam refero. Dresdae non nisi per quinque annos totidemque menses evangelium docui. Primo enim et quadragesimo huius saeculi anno Illustrissimus Comes, Carolus Henricus Albanus de Schoenburg, Glauchaviam me evocavit ad Archidiaconi in hoc oppido munus capessendum, quocum, iubente Illustrissimo Comite Henrico Aenotho Ottone Ernesto de Schoenburg, ministerium verbi divini apud Gesavienses erat coniungendum. Hic quoque loci non nisi bona expertus sum. Vires enim muneris satis laboriosi officiis suppeditarunt. Magistratus et collegae multa et insignia benevolentiae in me documenta ediderunt. Civium plurima pars magno me prosequuta est favore, cuius hoc unum certe specimen hic laudandum est, quod senatus Glauchaviensis non sine eorum concessu, qui, ut civium nomine suffragia ferrent, ordinati erant, civitatis honore ultro me donavit. Iam vero nova, nec infausta rerum mearum instat vicissitudo. Quum enim Ven. collega, Rudelbachius, superiore anno omnibus, quibus fungeretur, muneribus sponte se abdicandi et in patriam Daniam redeundi consilium cepisset, Patronus et Fautor Illustrissimus, Comes Albanus de Schoenburg, me, qui in illius locum sufficerer, elegit. Quare acto ante hos duos menses colloquio, quod Magnus de Ammon et S. Ven. Heymannus rite quidem et solenniter, sed liberalissime mecum instituerunt, iam nova, quae mihi mandata sunt, munera aspicaturus sum.

Plurima igitur et maxima dei beneficia per totum vitae tenorem in me redundarunt, ita ut, praeteriti temporis quum apud me repeto memoriam, non possim, quin cum vate dicam: בְּרַכְנֵי גְבוּשֵׁי אֶת-יְהוָה וְיִאֲמְרוּ לְהַשְׁבִּיחַ לְהַגְדִּילוֹ

Sed tenue argumentum ne longius dilatem, eorum quos in lucem edidi librorum mentionem iam subiiciam.

Commentatio exegetica de loco ex. Io. II. v. 19. Dresdae 1839. — *Erste Würdigung der Segnungen, die wir der Kirchenverbesserung verdanken. Predigt am 6. Juli 1839. — Abschiedspredigt über Luc. 24, 50 — 53. am Himmel-*



fahrtstage 1841. — Zur Verständigung über Sinn und Bedeutung der Versuchungsgeschichte. (D. Käuffers bibl. Studien, Jahrg. 2.). — Predigten von Fr. Girardet aus dessen handschriftlichem Nachlasse, mit einer Vorrede biographischen Inhalts. Dresden 1843. — Die Sache des evang. Vereins der Gustav-Adolph-Stiftung. Glauchau 1843. — Die gemeinschaftliche Unterstützung unserer Bedrängten evang. Glaubens-Brüder. Predigt über Apostelg. 11, 27 — 30. Glauchau und Waldenburg 1844. — Ernste Mahnungen an alle Glieder unserer Kirche, welche den kirchlichen Fragen der Zeit eine lebendige Theilnahme schenken. Predigt über Luc. 10, 25 — 27. Daselbst 1845. —

CAROLUS FERDINANDUS BRAEUNIG,

PH. D., AA. LL. M., PASTOR APUD ZWICCAVIENSES PRIMARIUS,
ZWICCAVIENSIS DIOECESEOS EPHORUS, REGIMINIS PROVINCIALIS
ET IUDICII MATRIMONIALIS ZWICC. ASSESSOR, SOCIETATIS HISTO-
RICO - THEOLOGICAE SODALIS.

Lipsiam veneror caram mihi patriam et usque ad virilem aetatem sedem cuiuscunque generis bonorum plenissimam; ubi natus sum tertio huius saeculi anno, patre Ioanne Godofredo, prope tredecim annos placida morte iam defuncto, matre Maria Sophia e gente Weberia, grandaeva adhuc filii res secundas laete spectante. Quamquam parentes optimi et honestissimi modicum tantum sibi parabant quaestum, hospitio quale nunc est excipientes peregrinos omniumque quae ad victum quotidianum pertinent exilem exercentes mercaturam, fausta tamen mihi Deo moderante evenit sorte, ut nec luxuriei puerilia ingenia enervantis experirer incitamenta nec fiduciam dementibus premerer rerum domesticarum angustiiis, quae quidem exoptatissima fortunae mediocritas quantum valuerit ad animum recte et ingenue colendum vix possum dicere. Parentibus filium erudiendum religiose curantibus sextum annum agens adii scholam civicam, cui, si quid profecerim et quae mihi gratuler satis digna habeam, quam maxima me debere pia mente recordari et palam profiteri nunquam desinam. Ea enim est animi indoles, ut prima litterarum elementa multis abiecta male edoctus quovis vacillet tramite, rite vero iis instructus expedite petat altiora. Nec tenera inde ab aetate, ut sunt pueruli de futuris securi, litterarum addiscendarum cupiditatem me tenuisse nec praemature de ineundo rerum divinarum memini me cogitasse studio, si qua re delectatus fuerim tunc eo maxime intentum, ut procul fori et urbis negotiis in agello colendo, sorte hodieque mihi viro multum laudata, laetus agerem et tranquillus. Quod puerile consilium ne sequer, aliquantum tribuendum fuisse puto

gentes terrasque moventibus belli ob patriam a Gallorum servitio liberandam immortali virtute gesti procellis, quibus non viros modo, sed senes, sed parvulos etiam divino quasi numine correptos scimus et me quoque quotidie paterni ob patriae sortes incensi fervoris testem tanta affectum fuisse recorder animi alacritate, ut primo de summis generis humani bonis sentire inciperem et annis viribusque crescentibus strenuo tam in civilibus quam in religiosis rebus de libertate iuribusque certandi flagrare ardore, in quo ad cineres usque perseverabo. Huc accedebat, quod Graentzius, vir optime de me meritis, posthac diaconi Waldenburgensis munere fungens praematura morte abreptus, illo tempore studiorum causa parentum contubernio usus, quum puerum ingenio litteris tractandis idoneo praeditum cerneret, me prope duodecim annos natum in Latinis et Graecis erudiebat elementis, quae quum valde mihi animadverteret arridere, viam mihi stravit addiditque animum ad exercenda rerum divinarum studia. Quapropter, spe falsus fore ut statim in scholam provincialem Afranam reciperer, anno 1816. Calendis Ianuariis in Thomanam Lipsiae migravi scholam, cuius Rector Rostius, veterum scriptorum amantissimus eosque eleganter interpretandi artis peritissimus, nil antiquius putabat, quam adolescentulos, fontes illos omnis sapientiae, eruditionis, humanitatis, suavitatis uberrimos diligenter ut adirent, allicere, cohortari suoque ipsius praeclaro praecire specimine. Quinquennio ibi peracto civibus academicis Muellero rectore adscriptus, praeceptores praecipuos habui in philosophia Krugium, in libris sacris interpretandis Winzerum et Winerum, in doctrina dogmatica et morali Tzschirnerum, in historia ecclesiastica Beckium, quibus viris mea superioribus laude faces praeferebantur liberiolem sine qua theologiae studium nec sincerum nec firmum, nec eventu prosperum esse potest, sentiendi docendique rationem intus perspicere, maximi ducere, religiosissime amplecti didici eamque inde ab illo tempore studiis, sermonibus, scriptis strenue secutus constanter sequar, praeter omne dubium certus, religionem Christianam nisi superstitionis et vanae sapientiae expertem nec commendari animis humanis nec posse firmari. Quo quidem sensu ne fervidus deflecteret iuvenis, multum contulit Goldhornius, quem quomodo laudibus extollam satis magnis non habeo, mihi non solum affinis, sed usque ad mortis suspiria paterno me prosecutus amore, tum et homiletica cui praeerat societate et interiore familiaritate me dignatus sapientissimo quo plenus erat consilio mihi rite formandi ingenii monstrabat vias praetereaque fontes, unde vitae sustentandae petenda essent subsidia, auctoritate sua aperiebat. Triennio et quod excurrerat non sine fructu consumto, feliciter superato Dresdae examine, ubi etiam viri vere magnifici de Ammonii patrocinium abhinc indefessum contigit mihi parare, in candidatorum relatus sum numerum. Lipsiam reversus in historico-theologicam recipiendum me curavi societatem, cuius sodales, praeter alios ad

astra transgressos, Heinichenium, de Eusebii Pamphili libris optime meritum, nunc Zwickaviensis gymnasii prorectorem ex votis iterum mihi propinquiorem, Leonem et Adamum, alterum Waldenburgensis, alterum Wurzenensis dioeceseos ephorum, amicitiae vinculo iunctos mihi congratulor, nullum vero Wapplerio meo, Tanensis inter Variscos diaconatus oneribus et molestiis iam confecto, reperi interioriorem, fideliorem, mihi rebusque meis magis addictum, per quem etiam in Teubneri typographi et bibliopolae celeberrimi familiaritatem introducebar rebus meis prosperrimam. Illius ipsius societatis praeside Illgenio ex singulari quo in me erat favore in primis suadente et moderante quum ineunte anno 1826 concionatoris ad aedem Paulinam vespertini munus ad tirocinia in orationibus sacris ponenda peropportunum petissem et essem adeptus, eodem tempore lauream impetravi philosophicam. Insequenti anno, iam in liberis erudiendis occupatus et exercitatus, ab Hageria matrona, quae institutum ad educandas generosissimarum familiarum filias conditum prudenter regebat, ut puellas potissimum religionis Christianae decreta docerem, vocatus sum. Ubi dum et orationibus coram concione habendis et religione parvulis tradenda muneris ecclesiastici rite petendi facultatem et ius mihi nitebar parare, dissidiis de liberiore religionis tractandae ratione per Hahnium exortis, primum scriptoris feci periculum in libro: *Der christliche Prediger als Rationalist*, Lipsiae 1828, a viris doctis laudibus ornato. Paulo post diebus Augustanae confessionis anno 1830 celebratae solemnibus ad inaugurandam societatem historico-theologicam oratione exhibui nostrae linguae merita in sacra restaurata, quae quidem oratio postea sub titulo: *Der deutsche Gottesdienst nach seinem Einflusse auf die Kircherverbesserung unter dem Volke*, ab Illgenio annalibus: *Zeitschrift für die historische Theologie. Tom. I. Part. I.* inserta est. Iam tempus appropinquabat carae patriae dereliquendae, data mihi opportunitate muneris diaconi apud Ossitienses civibus sic rogantibus vergente anno 1830 capessendi, quo feliciter iungebar Wahlio, quem nescio an ephori, an collegae, an amici, an patris habuerim loco. Sic rebus meis et publicis et domesticis stabilitis in matrimonium duxi puellam dilectissimam et pudicissimam Iuliam Kruegeriam, Wurzenae natam, quae mihi filios duos et duas filias enixa est. Quam munus mihi otii plus quam laboris suppedidaret litteris illud esse dedicandum ratus, praeter singulas orationes sacras et nonnulla Lochrii scripta emendata, inter rixas de mutandis ecclesiae formis externis tunc incensas in lucem edidi librum: *Ueber das constitutionelle Leben in der Kirche*. Lipsiae 1833, quem sequebatur libellus: *Religio nach Ursprung und Bedeutung erörtert*. Lipsiae 1837. Quo libro vix typis exscripto, Ossitientibus quidem, quorum perpetua eximii in me amoris specimina si ulli darem oblivioni, ingratus esse deberem, invitis, contigit mihi tam felici esse, ut Zwickaviensibus faventibus sacrum quo nunc fungor pastoris primarii

munus mihi crederetur, viris vero perillustribus penes quos est summum imperium annuentibus ephori honores mihi mandarentur simulque collegiis, quorum alterum ad res ecclesiasticas et scholasticas moderandas, alterum ad lites coniugales componendas Zwickaviensi provinciae est praefectum, iuberer assidere. Cui quidem muneri gravissimo multisque onerato negotiis ut ex viribus satisfacerem totus occupatus, oratiunculis aliquot exceptis, ad libros edendos animum adiicere non potui. Enimvero ad summos, quos in saecularibus de Lutheri morte proxime celebrandis summe Venerabili Theologorum Ordini Lipsiensi placuit mihi offerre, rite capessendos honores in hoc ipso temporis momento dissertationem inauguralem *de arcta religionis cum rebus publicis necessitudine* sum scripturus, id imprimis quoquo modo annitens, ne honoribus mihi oblatis, ne muneribus mihi demandatis, ne omnino divinis beneficiis per totam vitam meam evidenter conspicuis prorsus videar indignus.

CAROLUS CHRISTIANUS ZAPFF,

PASTOR ET SUPERINTENDENS OELSNITIENSIS.

Ego natus sum Plaviae Variscorum, anno salutis supra millesimum octingentesimum sexto, ipsisque eius anni Calendis Januariis, parentibus non nobilibus quidem, sed honestis, et mihi vita carioribus, Carolo Christiano et Carolina, e gente Eisenreichiana. Primas litteras tum domi tum in schola urbis patriae publica didici. Postea, in lyceum Plaviense missus, ex sententia praeceptorum merittissimorum dignus, qui studiis me traderem, sum iudicatus. Quare anno aetatis decimo septimo in Academiam Lipsiensem migravi, sanctae theologiae operam daturus; et ibidem ineunte semestri aestivo MDCCCXXIII civium academicorum numero adscriptus sum.

Cursu academico post tres annos et dimidium finito, examineque, quod dicunt, theologico feliciter superato, a summo, quod tum temporis res ecclesiasticas in regno Saxonico regebat, Consistorio, quarto Nonas Octobres anni MDCCCXXVI in Candidatorum theologicorum numerum receptus sum. Non ita multo post Vibrigius, domini Mechelgrunensis prope Plaviam possessor, liberos suos educandos erudiendosve mihi mandavit. Tribus annis post Leumnitium, vicum prope Geraviam in Rhutenicis, veni, in domo viri nobilissimi ab Einsiedel liberos suscepturus instituendos. Sex fere annis praeterlapsis, summum, quod res ecclesiasticas pariter atque scholasticas in terris Saxonie curat, ministerium regium me Pastorem vicarium apud Reichenbergenses prope Dresdam designavit et vocavit; quod munus die decimo quarto Calendas Sextiles anni huius seculi tricesimi quinti ingressus sum. Anno sequenti Senatus Doebelnensis praecleara benevolentia me Diaconum

ad aedem urbanam secundum elegit; quo officio per quatuor annos integros functus sum. Doebelnae matrimonium inii, cum Aemilia, coniuge dilectissima, e gente Vibrigiana. Ineunte anno MDCCCXLI munus pastoris primarii apud Oelsnitienses, simulque officium ephori dioeceseos Oelsnitiensis mihi benevolentissime demandata sunt, quibus muneribus adhuc, Deo ter Optimo Maximo favente, praeesse valde laetor et gaudeo.

Haecce de vitae meae cursu eiusque vicissitudinibus habui breviter enarranda; quae postquam oculis iterum perlustraveram animoque revolveram, tria potissimum sunt, quae mentem meam afficiunt et vehementer movent: recordatio virorum, qui bene de me meruerunt; dolores, quos ineluctabile fatum acerbaque mors mihi attulerunt; gratia denique, quam Deo Summo habeo, qui res meas omnes propitius gubernavit. Ex magno vero eorum numero, qui beneficiis suis me ornaverunt, nominare liceat: beatum Wimmerum, Doellingium, Pfretzschnerum, Gymnasii Plaviensis ornamenta haud exigua; — beatum Tzschirnerum, beatum Goldhornium, Theilium, professores academiae Lipsiensis laudatissimos et meritissimos; — beatum Tischerum, theologum Pirnensem; Behrium, sacrorum apud Geravienses antistitem celeberrimum, de Ammonium, theologum, quem tota Germania colit atque veneratur, — qui viri consilio, doctrina, sapientia, patrocinio, favore, amore studia mea adiuerunt, vitae cursum direxerunt, vitae statum emendaverunt; quorum memoriam magnaue in me merita nulla dies unquam delebit; ex quibus expertus sum, quam sit verum, quod Seneca ait: „nullam rem magis honesta intueri, dubiosque ad rectum revocare, quam bonorum virorum conversationem; frequenter audiri atque aspici, paulatim in pectora descendere, praeceptique vim obtinere; esse denique aliquid, quod ex hono viro vel tacente quis discat.“ — Sed nolo praetermittere, quibus rebus sim spoliatus, quamquam scindere dolorem cor meum sentio. Intra quinque annorum spatium, ab anno huius seculi tricesimo sexto usque ad quadragesimum secundum, mors acerba patrem optimum, filium unicum, affinem dilectissimum, Treibmannum, dioeceseos Doebelnensis ephorum, et — filiolam carissimam mihi eripuit, quorum hominum obitu ita sum perturbatus, ut me tamen hominem esse meminerim, et illos hanc vitam tanquam in hospitium ita ingressos, ut accitu summi Dei aeternum illud coeleste domicilium petitori aliquando discederent; quod si me casus isti non opinati ita perculissent, ut omnino iacerem, excitarer tamen prudentia amicorum, qui in animo consolando, luctuque minuendo suam declaravere tum bonitatem tum erga me benivolentiam singularem. Verum ego infortuniis non paucis hoc sum assecutus, ut fortunam ipsam didicerim contemnere, quae mihi ut eripiat reliqua, nunquam adimet ea, quae nec ipsa dedit, nec dare cuiquam potest, rectam mentem, optima studia, pietatem in Deum. Praclare actum opinor cum mortuis. Fruuntur conspectu et

consuetudine coelestium animarum; non anguntur curis, non spe ducuntur; nihil timent adversum. At nos, qui dicimur vivere, quibus hac falsae lucis usura nihil est carius, — quam multa exerceat? quid laboramus, quid cupimus, quod etiamsi contingat, animus acquiescat? Itaque vere sapientes homines non, ut diu, sed ut recte viverent, optare soliti sunt; quod equidem conor etiam. — Tantum enim abest, ut his fatis animus frangeretur, ut impavidus Deo ter Optimo Maximo confidam, gratias ei acturus et persolurus ardentissimas, qui saluti meae prosperrime semper et clementissime prospexerit. יְרֵמָה וְיֵשׁוּעָה (Psalm 37, 5.)

EWALDUS FRIDERICUS HOFFMANN,

FRIBERGAE AD AEDEM D. NICOLAI PASTOR.

In describenda vita neque factorum vicissitudinibus neque factorum gravitate insigni brevis esse et possum et debeo, ne rerum minutarum ac vulgarium subtilius expositarum taedio lectores capiantur. Lucem adspexi Stolpenae prope Dresdam a. d. V. Id. Iul. anno huius saeculi octavo, patre usus Friderico Gottlob, annuorum tributorum tunc temporis in praefectura Stolpenensi redemptore regio causarumque patrono publico, matre Friderica Ludovica, e gente Schmaltzia, parentibus optimis, quibus adhuc superstitibus et felici senectute fruentibus me gratias pro innumeris, quae in me contulerunt, beneficiis et si non referre, tamen iterum iterumque agere posse vehementer laetor. Illi quidem mature primis religionis atque literarum elementis puerum imbuendum curarunt atque domestica institutione praeparatum Wernero, scholae oppidanae tunc Rectori, publice privatimque erudiendum tradiderunt, cuius disciplina satis severa eo potissimum tendebat, ut strenuae in literis tractandis assiduitati tirores assuefierent. Ad excolendum vero ingenium alendumque ingenium literarum amorem magis accommodata erat liberalior Lohsii, apud Eibenstockienses nunc verbi divini ministri, institutio, qua annum agens duodecimum in domo avunculi prope urbem patriam sita per sex fere menses tanta cum voluptate usus sum, ut ex servitute in libertatem vindicatus esse mihi viderer. Egregia, quam vir ille dilectissimus hodieque amicissimus in me collocabat, opera factum est, ut, singulari eorum, qui tum rebus sacris in patria praeerant, venia impetrata, annum aetatis decimum tertium nondum ingressus inter scholae regiae Afranae, quae Misniae floret, alumnos recipi possem. In hac illustri literarum officina integrum exegi sexennium, a praeceptoribus praeclarissimis non eruditus solum omnique genere humanitatis institutus, sed etiam multis benevolentiae testimoniis ornatus. Inter quos, quum in ipsa schola adhuc versarer, luxi Ottonem, mathematicum, amandum illum senem amatumque ab

omnibus, qui aetiori quodam vinculo cum eo essent coniuncti, Balzerum, fati tristissimi iniuria multo ante diem supremum literis atque ecclesiae ereptum, brevi autem post discessum ex schola Koenigium, Rectorem gravissimum atque literarum antiquarum doctorem elegantissimum. Horum aequae ac eorum, quorum superstitem partim etiam nunc inclytae Afranci famae servandae atque permovendae inservire gaudeo, Kreyssigii scilicet atque Oertelii, Lindemanni ac Bornemanni, Krehlii denique, quem cum in aede sacra de rebus divinis eloquentissime perorantem, tum in scholis linguam hebraicam subtilissime docentem audire mihi licuit, tanta sunt in me merita, quanta non enumerari, sed gratissima solum ad vitae usque finem recolere possint memoria. — Sexennio peracto in primis dignus iudicatus, qui ad interiores literarum disciplinas admitterer, inter ipsa solemnissima scholae anniversaria praeceptoribus ac commilitonibus rite valedixi, atque aliquot menses in domo paterna commoratus, instante anni MDCCCXXVI semestri autumnali, in academiam Lipsiensem discessi, literis sacris, ad quas iam pueruli animus propensus fuerat, operam navaturus. Quae cum ad vitam sustentandam, tum ad studia exercenda opus erant, pater benignissimus larga, quantum poterat, manu suppeditabat; accessit mox stipendium regium, ita ut nulla rei domesticae cura distractus totum me literis dedere possem. In quibus si quid profecerim, id me debere optimorum, a quorum ore pependi, praeceptorum doctrinae atque humanitati palam profiteri non dubito, licet eorum laudem meo suffragio augeri non posse optime sciam. Interfui autem scholis philosophicis Krugii et Wendtii, philologicis Hermanni, historicis Wachsmuthii, Tzschirneri et, postquam hic omnibus flebilis praematura morte oppressus est, Niedneri, exegeticis Theilii et Rosenmuelleri, dogmaticis Theilii et Hahnii, symbolicis ac moralibus Titmanni, paedagogicis Lindneri. Quorum celeberrima nomina ubi recenseo, bene memor, quid quantumque singulis debeam, non possum a me impetrare, quin ex omnibus unum adpellem, cui singulari pietatis vinculo me obstrictum sentiam, Theilium dico, cum de aequalibus multis, tum de me optime meritum, qui non solum scholis suis privatis, in quibus varias disciplinas theologicas examinando et disputando pertractare solebat, studia mea adiuvit, sed etiam inter societatis, quam moderabatur, exegeticae sodales, quorum multi tunc et doctrinae copia et ingenii sagacitate admodum excellebant, me recepit ipsumque adeundi, consulendi, percontandi benigne ac liberaliter mihi fecit copiam.

Cursum academicum emensus, patre annuente, constitueram apud animum meum, edito publico illo eruditionis specimine, quo primus ad sacrum munus aditus parari solet, Lipsiam reverti, quo melius iis potissimum disciplinis, quae ad munus ecclesiasticum rite administrandum spectant, per aliquod tempus vacare possem. A quo consilio me avocavit inopinata Schmaltzii, Dresdensis, avunculi,

nunc soceri innumeris nominibus per omne vitae tempus mihi venerandi atque colendi invitatio, ut ad instituendos educandosque eius liberos in ipsius domum commigrarem, qua quidem re nihil opportunius, nihil exoptatius mihi evenire poterat. Quum igitur, examine theologico feliciter superato, Candidatorum Rever. Ministerii numero adscriptus essem, verno anni MDCCCXXX tempore provinciam mihi demandatam suscepi atque optimis auspiciis in novo vitae statu me collocatum vidi, unde nescio, utrum plura utilitatis, an iucunditatis emolumenta in me redundaverint. Inter ea vero id summi aestimare nullus dubito, quod tanti viri non solum exemplar ad imitandum propositum e propinquo intueri, sed etiam consuetudine quotidiana intimoque fere consortio uti, nec non singulari ad docendum evangelium curamque animarum agendam institutione per plures annos frui licuerit. Quanta in moderandis collegii Candidatorum, cuius ipse auctor exstiterat, exercitationibus homileticis illius fuerit ars et peritia, quanta sententiarum e sacro fonte hauriendarum ubertas, quanta in recensendis tironum operibus urbanitas, quanta dexteritas in emendandis, testes sunt omnes, quicumque in illam studiorum atque amicitiae societatem mecum fuerint recepti, neque ullum eorum gratam fructuum, quos inde perceperimus, memoriam unquam depositurum esse persuasum habeo. Tres anni inter negotia iucundissima otiumque ad persequenda ulterius literarum studia liberaliter concessum vix elapsi erant, quum avunculus Hamburgum vocaretur, ut Pastoris primarii ad aedem D. Iacobi munus in se susciperet. Interroganti illi, num ipsum sequi et quae inchoassem illic ad finem perducere placeret, lubentissime morem gessi, neque unquam me poenitebit in emporio illo cum negotiorum frequentia opumque affluentia, tum situs amoenitate incolarumque hospitalitate maxime spectabili aliquod vitae tempus degisse. Sede itaque anno MDCCCXXXIII Hamburgi fixa, ne concionandi licentia deesset, petii, ut in Candidatorum Ministerii Hamburgensis numerum admitterer. Annuerunt rerum sacrarum antistites, praeunte Rambachio, Seniore Ministerii gravissimo atque meritissimo, hymnologo illo celeberrimo, cuius ingeniam in omnes comitatem, singularem in me benevolentiam hoc loco tacuisse ingrati animi foret. Examen solemne subii post Festum Paschale a. MDCCCXXXIV, et viris humanissimis probatus veniam verbi divini ministros in evangelio publice docendo sublevandi impetravi, qua per subsequens biennium satis frequenter usus sum. Anno MDCCCXXXVI ineunte casu, si ita dicere fas est, evenit, ut ex ephemeridibus Dresdensibus certior fierem, munus Diaconi apud Fridericopolitanos brevi esse vacaturum. Excitavit hic nuntius patriae amorem nunquam sopitum, auxit desiderium e vitae privatae umbraculis in publicum ecclesiae ministerium proeundi. Quo factum est, ut, ipso avunculo suadente animosque faciente, literis ad virum excellentissimum, b. Muellerum, qui tunc rebus ecclesiasticis in Saxonia

praecerat, missis munus illud petere auderem. Praeter spem res cessit. Licet enim nomina eorum, quorum in munere illo adiudicando ratio habenda esset, iam antea designati fuerint, tamen Dresdam venire iussus sum ad concionem in aede aulica habendam, qua habita quum reditum iam pararem, Diaconi ad aedem, quae Fribergae est D. Iacobi, munus summo fautorum nunquam non pie colendorum beneficio ad me delatum atque ex inopinato copia mihi facta est cum parentibus dilectissimis, quos iam dudum summus rerum humanarum moderator in hanc urbem traduxerat, in interiorem vitae communionem redeundi et in urbe quasi patria prima militiae sacrae stipendia emerendi. Exploratus pro munere suscipiendo a. d. XV. Cal. Iun. anni dicti, Dom. I. p. Trin. non solum orationem *δοκιμαστικην* habui, sed etiam sacris faciendis initiatus atque in munere mihi demandato rite constitutus sum. Eodem anno Hamburgum reversus e domo avunculi iam antea paternae aequiparanda uxorem mecum abduxi filiam illius natu secundam, Claram Hedwigiam, quacum arctissimis mutuae caritatis et communis trium liberorum amoris vinculis coniunctum me omni vitae domesticae dulcedine huc usque large fruitum esse, amaritudinem, quam vitae beatissimae adspargere soleant fautorum vicissitudines, vix degustasse gratissimo erga Deum O. M. illamque ipsam vitae meae sodalem animo non solum agnoscendum est, sed etiam praedicandum. Tennes quidem ab initio res nostrae erant neque iucundae omni ex parte muneris rationes. Quam vero futuri temporis spem Dei benignitas multifariam experta nos alere iubebat, ea non destituti sumus. Postquam enim, occasione fere ultro oblata, anno MDCCCXXXVII Lipsiae, duobus annis post Hamburgi tanquam hospites habui orationes, quarum successum sperare virum admodum iuvenem parum decebat, haud ita multo post Senatus urbis meae amplissimus, multorum, qui mihi favebant, civium precibus permotus, Pastoris ad aedem D. Nicolai munus, de quo M. Kiessius senio confectus decesserat, mihi deferre non dedignatus est, quo munere ipsis Cal. Novembr. anni MDCCCXL suscepto huc usque ita fungor, ut ecclesiae eorumque, qui curae meae commissi sint, salute pro viribus promovenda tot tantisque beneficiis divinis dignum me exhibere enixe studeam. Neque vero negotiis publicis a literarum, inprimis theologiarum, studiis me totum avocari passus sum. In quibus exercendis tantum utilitatis, quantum voluptatis percepi e fraterno cum quibusdam muneris collegis aliisque theologis ad scholarum castra transgressis sodalitia, quo iam per integrum quinquennium coniuncti singulis hebdomadibus convenire et ad accuratiorem eorum, quae theologum nosse iuvat, scientiam nobis comparandam nunc scribendo et disputando, nunc nos invicem docendo et examinando, quidquid est otii, iucundissime consumere solemus.

Tantum vero abest, ut vel horum studiorum socios aliquantum superasse,

nedum ad interiora doctrinae adyta penetrasse mihi videri possim, ut non nisi benignissime invitatus atque erectus ad summos theologiae evangelicae honores, ad quos instantibus tertiis saecularibus illius diei, qui b. Luthero fatalis fuit, Ordinis Theologorum in academia Lipsiensi Summe Venerabilis benevolentia aditum patefecit, aspirare ausus fuerim. Desunt adeo publica eruditionis atque doctrinae specimina, quae tanto beneficio me non indignum testari possint; nam quae me auctore typis expressa sunt opuscula, fere non nisi homiletica, tam minuta sunt atque pusilla, ut tacuisse ea, quam enumerasse satius duxerim, nisi mori obediendum sit. Sunt autem haec: 1) *Acht Predigten, mit einem Vorworte von D. Moritz Ferdinand Schmaltz, Hauptpastor und Scholarch. Hamburg, 1836.* 2) *Rede am Grabe eines verunglückten Bergmannes. Freiberg, 1838.* 3) *Das blutige Ende des Missethüters. Predigt, am Tage vor der Hinrichtung eines Mörders gehalten. Freiberg, 1840.* 4) *Dass die evangelische Kirche für ihr Bestehen und Gedeihen noch immer nichts zu fürchten hat. Predigt am Reformationsfeste 1844 gehalten. Freiberg, 1844.* 5) *Die Freiburger Petition um Verleihung einer freieren kirchlichen Verfassung, in ihrem Zusammenhange mit der Leipziger u. s. w. dargestellt. Freiberg, 1845. Ueberdiess mehrere Predigten und Reden in Zimmermanns Sonntagsfeier. Bd. V. IX. XIII. XIV. XIX.*

FRIDERICUS ORTHOBIUS LIEBE,

PHILOS. D. ET A. A. B. B. MAG. PASTOR PRIM. ET EPHORUS DIOEC.
OSSITIENSIS.

Ego a. d. XII. Cal. Iul. anno huius saeculi quarto in pago Ganzig prope Ossitium sito natus sum. Pater dilectissimus, qui ibi munere sacro fungebatur, primam pueri institutionem amanter suscepit. Anno sel. undecimo, cum patri meo Ossitiensium senatus munus diaconi obtulisset, Penates Ossitium transtulimus, ibique ego, scholae civicae traditus, inprimis Gottloebero, doctore meritissimo, duce, ea quae puerum didicisse decet, ita edoctus sum, ut anno sel. XVII. scholae regiae Misenenensis alumnis possem adscribi. Per quinque et quod excurrit annos me huius scholae disciplina et simul nonnullorum professorum familiari consuetudine usum esse, grata est recordatio. Opportune accidit, ut illo ipso sexennio viri nonnulli sese dicarent Afraneo qui, doctrinae ingeniique ubertate et humanitatis laude conspicui, novum earum disciplinarum, quas ipsi profitebantur et quae antea satis neglectae iacuerant, amorem nobis instillabant. Ita Krehlius, scientiae amplitudine, ingenii acumine et oris suavitate pariter insignis, ad literas hebraicas docta manu aditum nobis aperuit, et Otto, vir prorsus egregius, insigni sua

institutione, quam amabilis comitas nobis insinuabat, rerum mathematicarum studium inter nos resuscitavit, Lindemannus vero linguae vernaculae et classicorum inter nostrates auctorum iustam aestimationem mirum quantum adiuvit. Quod subinde tacite subortum erat, in pueri pectore desiderium, theologiae studio vitam consecraudi, id non poterat non Baltzeri, quem omnes pio animo venerabamur et quem praematura sors deplorabilis invitis nobis eripuit, institutio et exemplum vividius incendere. Anno h. s. XXIII. in academiam Lipsiensem migravi, ibique per quatuor annos literis sacris operam navavi atque interfui lectionibus virorum celeberrimorum, qui tunc florebant. Spohnii, Hermanni, Krugii scholas frequentavi, Beckium, senem venerabilem, atque Tzschirnerum per Germaniam clarum, audi; Rosenmuelleri doctissimi, ingeniosi Tittmanni, diligentissimi Illgenii institutione usus sum. Et siquidem non praepostere institui studiorum meorum rationes, id duobus debeo viris, quorum consilium dubitantem confirmavit, quorum exemplum, quid assiduum valeat studium, desperantem edocuit, Wahlium dico, patriae urbis autistitem, virum summe venerabilem et Theilium professorem longe meritissimum, qui Wineri discessum tunc temporis deplorantibus solamini fuit, qui ut de omnibus suis discipulis ita de iis imprimis, qui exegeticae quam dirigebat societati adscripti erant et de me meisque studiis egregie meruit. Pergrata est memoria exercitationum quas illa societas obtulit exegeticarum, quibus adhuc subinde interfuisse memini Niednerum, virum sagacissimum, doctissimum, qui res qualescunque ita acute et ingeniose tractare solebat, ut facilius videretur admirari quam refellere disputantem. Hahnii quoque, qui tunc temporis Lipsiam venit consuetudine gaudebam, quam posthac adeo literae invicem datae continuabant. Anno h. s. XXVII. coram consistorio Supremo Dresdensi examini pro rev. min. candideturae me subieci atque simul, Dresdae retentus, munus concionatoris auxiliarii atque correctoris in libraria quadam suscepi.

Dominica Reminiscere, anni h. s. XXVIII. honores doctoris philosophiae artiumque liberalium magistri mihi delati sunt.

Illo quo Dresdae commorabar tempore prae ceteris linguae Francogallicae operam navavi ut, si quando sors ita ferret, alicubi in terris exteris praeceptoris officio possem satisfacere. Quod haud temere factum esse, mox expertus sum. Mense Septembri anni h. s. XXVIII. in domum principis Moscovitici Alexandri de Galitzin intravi atque Varsoviam me contuli. Quodsi Theilius, vir pie a me colendus, qui anno sequenti „notitiam novi commentarii in novum testamentum“ edidit abitum meum in hoc ipso libello p. 33 doluit, id quidem vel in faustissima sorte, qua fruebar, patriae dilectissimae desiderium magnum in modum auxit: attamen nunquam poenituit huius consilii vel exilii. Etenim est aliquid, omnia relinquere et sentire cuncta in nobismet ipsis esse posita; est aliquid conspicari

vitae rationes et vicissitudines in altiore loco constitutum; est aliquid in populo, qui neque artium literarumque cultu neque probitatis, honestatis, fidei laude nobis commendatus est occurrere hominibus, qui his omnibus virtutibus singulari modo excellenter. Valetudo tamen, quominus ultra unum annum, de quo conveneramus, commorarer, impedimento fuit. Ita mense Septembri anni h. s. XXIX, postquam Vratislaviae Schulzium, virum doctrinae copia aequae ac morum honestate et severitate inter omnes notum, viseram, atque valetudinis causa in Silesiae montibus tempus aliquod degeram, in patriam redux factus sum. Amici Dresdensenses atque parentes cognatique Ossitienses laetabundi exceperunt reversum. Per hyemem sequentem Dresdae commorans, quae in literis theologicis me absente gesta fuerant, cognoscere studui. Invitatione, in aula Altenburgensi praeceptoris munus suscipiendi, aegre reiecta anno sequenti eoque scilicet tricesimo a domino ab Erdmannsdorf munus pastoris in pago Schoenfeld in inspectione Haynensi mihi oblatum est. Patris carissimi eo ipso tempore pie defuncti obitum deplorans eo Lares meos traduxi. Per undecim annos muneri illi praefui, arctissime innetus familiae patroni generosissimi, qui duas filias natu minores mihi tradidit educandas, usus familiari consuetudine omnium quibuscum per muneris rationes commercium esset. Adhuc pergratum est, recordari familiaritatis quam me dignatus est ephorus dignissimus, qui adhuc illi dioecesi praest, et conventuum theologicorum, Radeburgi institutorum, quos moderabatur Schorchius, diaconus tunc temporis Radeburgensis, nunc concionator aulicus et superintendens Schleizensis. Anno h. s. XLI. Dobelinum vocatus sum, ut ibi pastoris primarii et superintendens munus gererem, quod per quatuordecim menses sustinui. Quum vero illo ipso tempore plerarumque dioecesium fines novo prorsus modo describerentur, et ut ephorium Dobelino auferretur, constitutum esset apud eos penes quos summa est in rebus ecclesiasticis potestas, ego mense Augusti anni h. s. XLII. Ossitium transmissus sum, eoque cum uxore liberisque perveni relictis collegis (Daehnum nomino, senem iubilare iuveni alacritate et hilaritate insignem) parochisque coniunctissimis, et urbe cuiusvis amoenitatis genere ornata, Ossitium, inquam, perveni duas forte hebdomades ante deplorabile illud incendium quod per totam patriam innotuit, cuiusque ingens ruina ne hodie quidem in integrum restituta est. Quid hic gesserim et quomodo munere gravissimo functus sim, id enarrare non meum est. Gratias vero ago quas possum maximas Deo O. M. qui per varias vitae vicissitudines tam benigne me traduxit, in patria urbe meamque uxorem familiis nostris reddidit, in provincia administranda mihi non defuit, atque innumeris clementiae suae documentis quotidie nos ornavit.

Quod vero summe Venerabilis theologorum Lipsiensium ordo inter tertium obitus Lutheri solemnia saecularia theologiae doctoris honores mihi conferre vo-

luit, id minus meritorum de literis sive de ecclesia partorum fructum, quam virtutis in posterum comprobandae incitamentum esse, probe sentio.

Scripta qualiacunque, a me in lucem edita, haec sunt: 1) *Eine exegetische Abhandlung über Matth. 19, 28. in D. Winers exegetischen Studien, Bd. I, p. 59 ff.* 2) *Die Emancipation der Wissenschaft auf dem Gebiete der Theologie. Leipzig, bei Reclam 1835.* 3) *Predigttexte auf das Kirchenjahr 1835—1836 mit kurzen Dispositionen und erklärenden Bemerkungen.* 4) *Ansichten über den geistlichen Stand in der zweiten ständischen Kammer Sachsens. 1838.* 5) *Abschiedspredigt von Schönfeld. 1841.* 6) *Predigt nach dem Brandunglücke zu Oschatz am 7. September 1842.* 7) *Predigt zur Feier des Jahrestages desselben Ereignisses 1843.* 8) *Weihnachtspredigt von 1844 „Eine fromme Wallfahrt zu der Geburtsstätte Jesu“.* 9) *Zwei Reden in: Blätter der Erinnerung an die Hauptconvente der Geistlichen der Ephorie Oschatz in den Jahren 1844 und 1845. Ausserdem einige Aufsätze in der Allgemeinen und in der sächsischen Kirchenzeitung.*

FRANCISCUS EDUARDUS SCHLEINITZ,

PHILOS. D. AA. LL. M. PASTOR PRIMARIUS ET SUPERINTENDENS
PIRNENSIS.

Natus sum anno huius saeculi quarto, d. XXVIII. Octobris in pago Zschaitz, prope oppidulum Doebeln sito, ubi pater meus, Ioannes Godofredus, tum temporis ludi magistri munere fungebatur. Nati erant parentibus ante me tres iam liberi, duo filii et una filia, meque adhuc secuti sunt septem, una filia et sex filii, quorum tamen duo mature decesserunt. Per aliquod tempus quidem aluit me locus natalis; sed iam anno h. s. sexto familia in pagum vicinum Sorzig se contulit, quo pater, ut doctrinas, quibus aetas puerilis impertiretur, tractaret, vocatus est. In hoc novo domicilio parentes, vera pietate et probitate insignes, in educando et excolendo filio omnem quidem curam posuerunt, sed non sine summo labore; infans enim non solum omnino corpore imbecillo, sed etiam multis iisque gravissimis morbis laboravi. In pueri institutione parentes lubentissime adiuvit verbi divini minister, Theophilus Lenke, vir et probitate et eruditione valde insignis. Quo a viro quum aliquamdiu graecae ac latinae linguae elementis imbutus essem, anno h. s. decimo septimo in alumnorum scholae, quae Dresdae est ad aedem crucis, numerum receptus sum. Haec schola tunc florere coepit Rectore Groebelio, qui summa virium intentione eius salutem curabat cuique eximii collegae praesidio erant. Dico — ut de ceteris taceam — modo Baumgarten-Crusium, nuperrime

F

demum Misenae defunctum, et Wagnerum adhuc viventem, viros cum ingenio et eruditione tum diligentia et assiduitate tantopere insignes, ut certo mihi persuasum habeam, omnes, qui eorum institutione olim gavisi sint, animos gratos iis servaturos esse. Septem fere annos in horum praestantissimorum virorum scholis, quarum memoriam nulla unquam oblivio in me delebit, contrivi; tum vero commutavi eas cum universitate Lipsiensi, ut literis theologicis, in quibus animi desiderium acquiescebat, operam navarem. Vere anni h. s. vicesimi quarti vir praeclarissimus, Andreas Haase, qui tunc academiam regebat, in eius album me retulit. At pater meus, cui in redituum paucitate novem liberorum cura erat, me et fratrem meum, iurium disciplinae in eadem academia operam navantem, nullo modo adjuvare poterat, ita ut omnibus fere destitutus essem subsidiis. Quo incommodo durior brevi post accessit calamitas. Scilicet per septem hebdomades morbo gravissimo laboravi, in quo saepius adeo rebus ad vitam necessariis carebam. Sed deus mei misertus est. Reconvalescenti enim mihi contigit, ut artis musicae institutione nonnulla mihi comparare possem emolumenta, quibus res meae meliore loco esse coeperunt, ita ut anxius victus sollicitudinibus remotis studiis meis liberiori animo vacare possem. Interfui, quamdiu eram in academia Lipsiensi, scholis Krugii et Richteri, philosophiam docentium, Beckii, philologiam profitentis, et Tzschirneri, doctrinam dogmaticam et homileticam atque historiam ecclesiasticam exponentis. Scripturam sacram interpretari me docuerunt Theilius, Hahnus et Tittmannus, cuius in doctrina symbolica quoque et morali usus sum institutione. Praeterea audivi Illgenium, dogmatum historiam tradentem, Lindnerum, res paedagogicas docentem et alios. Quum vero iam disciplina Dresdensi utens intellexissem, magnum capi fructum ex eiusmodi consuetudine, qua disciplina quaedam una cum aliis eius studiosis adolescentibus colatur cogitataque ab iis inter se communicentur, cum nonnullis commilitonibus, quibus iam Dresdae amicitia coniunctior fueram, societatem inivi eo consilio, ut de rebus theologicis disputaretur, quorum conventuum, qui non solum cum magna utilitate, sed etiam pura voluptate erant coniuncti, per totam vitam lubentissime recordabor.

Sed ex intimo sinu pacis iterum in magnos luctus incidi. Pater enim ex vita discessit, novem liberis superstitibus, quibus nondum erat satis prospectum, et mater adhuc lugubri veste induta paulo post ipsa in pacem aeternam abiit. Sic variam fortunam expertus, postquam in academia quatuor annos versatus eram, Reverendo Ministerio me tentandum obtuli anno millesimo octingentesimo vicesimo octavo. Examine feliciter peracto mox mihi contigit, ut, quum antea honores Magistri liberalium artium cepissem, Senatus Lipsiensis benevolentia et in praceptorum scholae, quae civica nominari solet, ordinem et in collegium eorum cooptarer, qui Catechetarum nomine in aede St. Petri sacra concionantur. Atque

haec erant laeta et fausta vitae tempora, nondum oblivioni tradita. O me felicem, quamdiu ab ore Wolfii pendere poteram, illius clari oratoris, qui, quotiescunque suggestum sacrum adscenderat, aculeos in animis auditorum relinquebat, ita ut hodie quoque tredecim annis post, quam eius sermones audivi, dulcis verborum sonus compleat aures meas! Attamen brevi hac iucunda consuetudine me privatam videbam. Nam anno h. s. tricesimo secundo Lipsia mihi erat relinquenda, ut munus Diaconi ad aedem Pirnae, ab eius urbis magistratu mihi traditum, inire possem. Lacrymis temperare non poteram, quum ab amicis meis et a puellis, quas quatuor annos institueram, discederem atque Lipsiam meam postremum viderem. Sed quum factum esset, ut cives Pirnenses benignissimo vultu me exciperent et quoque collegae adventantem liberaliter tractarent, nubila animi sensim sensimque serenabantur. Huc accessit, ut in hac nova meliorique conditione meos quoque plus iuvare et unum fratrem unamque sororem filii filiaeque loco habere possem. Abhinc diu, quadam valetudinis imbecillitate excepta, tranquillam placidamque vitam egi, multis beneficiis plenam. Imo praeter omnem expectationem Deus Maximus temporis cursu me beavit. Nam quum post annum quartum, quam vocatus fueram, collega meus, Heringius, qui Archidiaconi munere ibi fungebatur, ex vita migrasset, in eius locum sum substitutus, et quum iterum paucis post annis D. Tischerus, pastor primarius et summus sacrorum antistes, spiritum reddidisset, ei quoque successi, quamvis tali honore nequaquam me dignum habere possem. Igitur bene et praeclare mecum actum est. Saepius quidem in malis versatus, tamen his ipsis ad felicitatem deductus sum. Quodvis damnum Deus benigne mihi sarsit. Patrem sepelivi et matrem, sed desiderium parentum explevit proba coniuge et amabili filiolo, qui toto pectore me amant, ita ut non possim, quin exclamem: omnia bene gessit! Quem spero et in posterum omnia bene facturum esse.

IULIUS EDUARDUS DRESCHKE,
PASTOR PRIMARIUS ET SUPERINTENDENS MISENENSIS.

Ego Rabenaviae die nono mensis Iulii anni MDCCCIV natus sum et patrem habui Christianum Aenotheum Dreschke, silvarum regiarum praefectum superiorem, ad sedes beatorum ante aliquot annos evectum mihiq̄ summa pietate usque ad ultimum vitae diem colendum. Puer nonum fere annum agens, cum a parentibus dilectissimis domi educatus et a Siegelio, loco natali tunc verbi divini ministro, in primis doctrinae rudimentis institutus essem, Langii disciplinae, quae tunc Tharandi, posthac in villa Vackerbarthi prope Dresdam, florebat, traditus

et biennio fere post, Tharando reversus, in domum Wezelii, qui Possendorf, in vico prope Dresdam, verbi divini minister erat et in formandis puerorum animis magna laude gaudebat, receptus sum. Grato animo et lubenter repeto huius viri memoriam, qui, ob ingenii fertilitatem, oris facundiam, animi candorem et morum venustatem multis carus, praematura morte obiit. Valedixi disciplinae eius anno millesimo octingentesimo duodevicesimo, aetatis anno decimo tertio. Etenim, cum ad literarum studia animum adplicassem, hoc anno discipulus scholae Afranae factus sum, quae, uti sexcentis iuvenibus, ita mihi quoque almam matrem se praebuit et per quinque annos et semestre praeclaros praeceptores dedit, inter quos e mortuis Koenigium, gravem scholae rectorem, Balzerum et Ottonem, e vivis Krehlium, oratorem sacrum et interpretem rerum divinarum celebratissimum, Kreyszigium, purae latinitatis vindicem, Bornemannum, graece doctissimum, commemorare grati animi me iubet pietas. Cum in hac schola usque ad annum millesimum octingentesimum vicesimum tertium versatus essem, Lipsiam, celeberrimam literarum sedem, me contuli, theologiae studia sequuturus. Nec mutavi propositum, sed haec studia indies magis amare didici, memor tamen, amplum esse theologiae campum nec quemquam posse theologum fieri, qui non philologus factus sit, philosophari didicerit et multiplicem rerum humanarum scientiam sibi paraverit, non neglexi studia, quae cum studiis theologicis arctissimo vinculo sunt coniuncta. Itaque e philologis Hermannum et Spohnium, qui pro dolor praematura morte decessit, de historia primum Wielandum, senem tunc temporis alacrem et vigentem, et deinde Wachsmuthium, e philosophis Krugium, Richterum et Heinrothium assidue audivi, e theologis vero imprimis Tittmannum, Tzschirnerum, Winzerum, Illgenium, Fritzschiem, nunc Gisensem, interpretem scripturae sacrae locupletissimum, et Theilium, virum summe venerabilem, qui de iuvandis studiis multorum iuvenum, qui nunc in muneribus publicis constituti sunt, optime meritis, mea quoque studia, quod ingenue et grato animo profiteor, consilio et doctrina aliquantum adiuvit. Quemadmodum enim vir venerabilis pro humanitate sua facilis erat accessu iuvenibus theologiae studiosis, ita mihi quoque et inter privatos parietes et in societate exegetica, cuius eram sodalis, lubenter rectam monstravit viam. Tribus annis vitae academicae peractis, subii Dresdae examen pro candidatura, quo feliciter superato Lipsiam reversus sum et per semestre studiis exegeticis, imprimis lectioni prophetarum V. T., atque studiis philologicis et philosophicis incumbere perrexi. Posthac paedagogus domesticus per annum et aliquot menses prima specimina in instituendis et educandis liberis edidi, exeunte vero anno millesimo octingentesimo vigesimo octavo Dresdam me contuli, victum scholis privatis quaesiturus et ad munus ecclesiasticum me praeparaturus. Nec poenitebat Dresdam me contulisse. Nam mox suppetebat

idoneus discipulorum numerus, e quibus unum, qui morbi causa ex Afraneo abierat, alterum, qui ob eandem causam Moldanum reliquerat, ad studia academica praeparavi. Eodem tempore scholae privatae, quae in academia militari tunc in usum eorum iuvenum nobilium habebantur, qui ad literarum universitatem se convertere volebant, suadente Chalybaeo, philosopho nunc Kiloniensi, mihi sunt demandatae. Nec deerant Dresdae fautores benevoli, qui mihi studiisque meis bene cupiebant, e quibus nominare gratus me iubet animus perillustrem et magnificentum de Ammon, qui multis me ornavit beneficiis, in domum et bibliothecam suam me admisit et indicem doctrinae suae de moribus itemque indicem Summae suae theologiae, quartum tunc editae, me scribere iussit, Schmaltzium, nunc Hamburgensem, praesidem collegii homiletices Neostadiensis, cuius eram sodalis, et Frankium, virum consistorialem et praedicatorum aulicum, quem nunquam non studiorum meorum factorem et rebus meis amicum expertus sum.

Incidere, cum Dresdae versarer, dies isti memorabiles, quibus anno h. s. tricesimo et sequente Dresdae ima summis mutata sunt et ipse tumultus et clamorum testis fui et ad tempus pro salute publica militavi. Anno vero h. s. tricesimo primo, mense Aprili, Dresdam reliqui. Placuit enim hoc tempore magistratui summo, qui tunc in patria nostra ergastulis publicis praepositus erat, munus ministri verbi divini in ergastulo Waldhemensi in me conferre. Adii hoc munus, quod primum mihi demandatum est, bono animo, divinam vocationem me audire in eo ratus et memor dicti Servatoris nostri: non sani, sed aegroti medico opus habent, nec adisse me poenitet. Data mihi est hoc munere crebra et multiplex opportunitas, investigandi intimos cordis humani recessus et conscientiarum modo obcoecatis libidinibus erroribusve, modo imbecillis, modo diuturna improbitate obduratis afferendi religionis medicinam et quamquam multa in eo inique cesserunt, tamen gaudia quoque parata sunt limpidissima, nunquam animo meo elapsura. Decennium fere hoc munere functus eram et intra hoc tempus, scilicet anno h. s. tricesimo sexto dulcissima matrimonii vincula cum virgine dilectissima Ioanna Friderica Mullera, Lipsiensi, iunxeram, cum magistratus rerum ecclesiasticarum in patria nostra supremus me certiore faciebat, se Altenbergam oppidulum Ephori sedem elegisse mihiq; si petierim, Pastoris et Ephori huius loci munus demandare proclivem esse. Opinio fortasse erat, me feris et asperis hominum sceleratorum moribus adsuetum facilius, quam alios, coeli saevitiam, quae est isto loco, esse laturum. Obtemperavi magistratus bene mihi cupientis auctoritati et colloquio Dresdae feliciter superato, anno h. s. XL. exeunte novum munus suscepti, in quo administrando ita mihi propitios animos hominum inveni, ut coeli asperitatem hominum probitate et benevolentia satis compensatam putarem et in animo haberem, vitam meam, quamdiu Deo placuerit, suscepti muneris

officiis consecrare. Secus tamen evenit. Etenim iam anno sequente magistratui rerum ecclesiastiarum supremo praeter omnem expectationem placuit, Misenam me vocare ad suscipiendum ibi munus Pastoris et Superintendentis amplum et officiorum gravitate insigne. Quantumvis honorifica esset haec invitatio, tamen causae erant, propter quas eam sequi cunctarer. Re tamen accuratius perpensa, opinatus, et hanc vitae meae vicissitudinem, a Deo venire, sapientissimo rerum mearum rectore, ad novum hoc Pastoris et Ephori in hac urbe munus anno XLI., exeunte mense Novembri, accessi, in quo etiamnum constitutus quidquid virium est in honorem Dei et Iesu Christi et ad augendum in his terris regnum coeleste conferre pergam.

THEODORUS GERHARDUS LEOPOLD,
PASTOR PRIMARIUS ET EPHORUS PEGAVIENSIS.

Natus est Auerswaldae prope Chemnitium anno 1797 patremque habuit Godofredum Gerhardum, verbi divini ministrum, cum in vita, tum in munere religiosissimum, piamque matrem Concordiam, e gente Jungkmicheliana, quae praematura morte puero erepta est.

A primo aetatis tempore literarum studio destinatus et per paternam institutionem praeparatus anno 1809 in illustre, quod Misenae est, Afraneum receptus est una cum duobus tunc pueris, nunc viris doctrina aeque ac virtute insignibus, de rebus civilibus et ecclesiasticis optime meritis, Ritterstaedtio, consule Pirnensi, et Leutholdo, apud Schoeneckienses nunc pastore.

Nactus ibi est praeceptores Koenigium, Hentschium, Weiskium, Weichertum, Balzerum, Luedickium, omnes nunc vita defunctos, praeter unum adhuc superstitem Kreyssigium, virum gratissima mente semper recolendum.

Curriculum scholasticum, per aedium restaurationem, febrium in vicinia grassantium et scholae damnum minitantium vehementiam et per belli tunc saevientis tumultus saepe neque sine magno discipulorum detrimento turbatum et interruptum anno 1814 emensus, Lipsiam se contulit et civibus academiae adscriptus est a Wielando, Rectore tum magnifico, scholasque ibi frequentavit Tittmanni, Tzschirneri, Winzeri, Beckii, Wolfii, Platneri et Krugii.

Studiis academicis anno 1818 peractis et superato examine theologico in candidatorum numerum relatus Chemnitii in schola privata, recens tunc instituta, munus suscepit praeceptoris, quo munere functus est usque ad annum 1825, quo anno a Supremo Senatu ecclesiastico ultro ei demandata est provincia pastoris primum vicarii, deinde anno sequenti substituti Bockaviae prope Schneebergam.

Nondum in hoc munere rite confirmatus iam designatus est et vocatus anno 1827 pastor apud Gruenstaedtelenses in ephoria Annaemontana. Ibi anno proximo in matrimonium duxit Adolphinam Ihlam, Icti Chemnitiensis filiam.

Lommatschio, dioeceseos ephoro, mortuo, cum anno 1835 plures parochiae ab illa dioecesi Annaemontana, tunc nimis ampla, avellerentur et nova ex iis dioecesis constitueretur, munus antistitis ei est traditum, post orationem sacram Dresdae habitam et colloquium cum eo institutum mensi Iunii die XXII., propterea memorabili, quod finito colloquio, in ipso Consistorii consessu, vir illustris, qui tunc temporis res ecclesiasticas et scholasticas in Saxonia moderabatur, beatus Muellerus, oratione latina consistorium, quale tunc erat, solemniter abrogavit collegiique vincula solvit.

Anno denique 1843 electus et vocatus est Pastor Pegaviam huiusque dioecesis ephorus, quo munere adhuc fungitur.

FRIDERICUS GRIMM,

PHILOS. D. AA. LL. MAG. PASTOR ET SUPERINTENDENS
NEOKIRCHENSIS.

Est oppidulum Varisciae prope Ricobacum Mylavia. Ibi natus sum anno MDCCXCVIII parentibus probis. Pater fuit Carolus Augustus, qui apud Mylavienses sacra fecit, vir integer scelerisque purus, cum literarum, tum theologiae bene gnarus. Mater fuit Luisa, e gente Wehneri. A teneris unguiculis me parentes summo cum amore amplexi sunt. Quo factum est, ut paterna institutione usus, eorum, quae ad animum puerilem excitandum faciunt, in dies maiora caperem incrementa. Anno igitur h. s. XI pater me gymnasii, quod Plaviae est, disciplinae tradendum putavit, cuius in gremio per annos quinque delitui.

Plavia relicta anno h. s. XVI. migravi Lipsiam, theologiae studio me dicaturus. Ibi literarum duces mihi fuerunt in philosophicis Krugius et Plattnerus, in historicis Beckius, in philologicis Hermannus et Rosenmuellerus! Theologiae autem magistris usus sum in exegeticis Keilio et Beckio, in historia ecclesiastica, in dogmaticis et homileticis Tzschirnero, in symbolicis Tittmanno. Illo tempore etiam condita est praeside Winero societas Hebraica et paullo ante praeside Illgenio societas historico-theologica. Utriusque sodalis fui.

Ita quatuor ferme annis elapsis, Lipsia decessi, Oberlosam prope Plaviam in domum Hartensteinii ad instituendos pueros vocatus, quorum alter literis tam felici successu operam dedit, ut ipse nunc in Academia Lipsiensi Philosophiae doctoris partes susceperit.

Quinque per annos Oberlosae moratus, imprimis ea, quae ad artem homileticam pertinent, accuratius tractare studui, contigitque mihi, esse tam felici, ut in certamine illo, quod in memoriam b. Reinhardi quotannis instituitur, orationem, a me compositam, bis primario praemio ornatam viderem.

Oberlosa anno h. s. XXV. relicta, Adorfiam petii, publicum diaconi munus, ad quod a magistratu rite vocatus eram, ibi subiturus. Quod quidem munus tot tantisque molestiis coniunctum est, ut Deum corporis et animi in me vires in eo feliciter administrando benignissime adiuvisse non satis possim praedicare. — In matrimonium illo tempore duxi filiam Wernerii, med. doctoris, qui Plaviae vixit, et suscepi ex ea liberos tredecim, quorum ex numero septem superstites vivunt. — Octo annis Adorfiae peractis, a summis rerum ecclesiasticarum in Saxonia moderatoribus iussus sum in locum Pastoris Neokirchensis succedere, qui, senio confectus, vitae quieti se dedere cupiverat. Hic igitur, Neokirchae, ubi otium mihi datum erat, in plures res theologicas, ad interpretationem N. T. spectantes, altius inquirendi occasionem et facultatem mihi futuram esse speraveram, imprimis cum hac in re bibliotheca domestica, magno cum labore mihi parta, et bis mille libros complexa, adiumento mihi esse posset. Tanto maiorem cladem accepi anno h. s. XL. incendio illo funesto, quo totum oppidum et omnia, quae in eo fuissent, in cinerem redacta sunt, ita, ut ex tota, quae mihi fuerat, suppellectile literaria ne biblia quidem sacra ignibus eripi potuerint. Sed calamitas ista animum meum haud repressit, imprimis cum hoc ipso anno D. O. M. ut maior et amplior mihi provincia demandaretur providisset. Nam cum dioecesi, quae a Neokircha nomen habet, antistes praeficiendus esset, hoc munus ad me delatum est, ita, ut per quinque nunc annorum spatium in ecclesiasticis huius dioeceseos rebus administrandis omnem curam ac diligentiam collocare studerim.

CAROLUS AUGUSTUS WILDENHAHN,
PASTOR SECUNDARIUS AD ST. PETRI BUDISSAE.

Ego natus sum Zwicaviae d. 16. m. Febr. anno huius Seculi quinto. Parentes, opificum ordini adscripti iidemque pauperrimi (pater erat sutor) propter liberorum copiam impediabantur, quominus filium, uti par est, erudiendum curarent; quo factum est, ut usque ad annum aetatis decimum scholam frequentarem oppidanam, tunc temporis satis maneam. Avunculus autem nunc apud Mariaevallenses, Zwicaviae vicinos, pastor, quippe qui et parentibus et mihi oraculum videretur et exemplum, tum animus ad verbum Domini olim praedicandum valde proclivis effecerunt,

ut parentes desiderio, quo ad frequentandum Lyceum me vehementer impulsus videbant, tandem indulgerent. Anno igitur aetatis decimo peracto civis Scholae illius, quae in urbe patria Rectore Goerentio florebat, per novem annos integros et discere fideliter artes et emollire mores pro viribus sum conatus. Multis tamen partibus amplior atque copiosior futura fuisset ad Studium theologicum praeparatio, ni partim rei familiaris angustiae mihi necessitatem aliorum erudiendorum imposuissent, partim puerorum Symphonicorum choro praefectus, cuius officia per aliquod tempus mihi demandata erant, vel invitus multum temporis perdere coactus fuisset. Gratissimo autem animo memor sum Haertelii, Lycei Rectoris, Viri humanissimi et patroni benevolentissimi, qui amore, quo me amplectebatur usque ad id temporis mihi prorsus ignoto, ultimum, quem in Lyceo peregi, annum reddidit dulcissimum.

Studia theologica in universitate literarum absolvenda per triennium absolvi Lipsiae annis 1824 — 1827. Operam quidem dare studueram rebus theologorum; et licet nomina Virorum Tzschirneri, Tittmanni, Winzeri, Illgenii, Krugii et reliquorum, qui tunc temporis theologiam eiusque disciplinas subsidiarias profitebantur, memoriae meae in sempiternum sint insculpta, tamen hoc semper mihi dolori fuit, quod Lipsiam reliquerim animo in theologiam parum accenso. Viam enim ad salutem per Christum et recuperatam et in Christo recuperandam minus in dogmatibus quam in vita ipsa et rerum veritate consistere postea demum magis magisque sum edoctus.

Anno huius seculi vicesimo octavo Dresdae, an dignus essem, cui munus ecclesiasticum aliquando deferretur, examinatus numero Candidatorum adscriptus sum; anno tamen proximo superiore iam scholam, quam dicunt collectam, Lichtenstenii aperueram, cui per quinquennium praefui. Tum autem desiderio, cui restringendo impar essem, ex illa conditione gratissima expulsus adii Dresdam, patrono quidem destitutus Maecenate, sed non patrona Spe et Fiducia in Deo posita; quamquam ibi nihil aliud tentaturus eram, quam, neglecto studio theologiae, viam mihi sternere ad cathedras philosophorum. At Dresdae Deus O. M. pro benignitate sua me edocere voluit, nostras vias non esse suas. Licet enim ipse fugerem omnia, quibus denuo implicarer theologia, tamen me etiam nolentem traxere fata ad repetendum veritatis divinae studium, cui, id quod ingenue fateor, a Deo ipso destinatum esse tum mihi persuasi. Is enim ipse Dominus et Moderator animi humani fecit, ut praeter expectationem vocarer ad munus pastoris apud Schoenefeldenses (quae parochia admodum magna Lipsiae est vicina) suscipiendum; quod factum est anno trigesimo septimo exeunte. Etsi autem ego illud munus,

mihî iuveni adhuc inexperto gravissimum et molestissimum, ne succumberem timeus, suscipere, tamen iterum iterumque Deus O. M. me edocuit, gratiam eius imbecillitati humanae adiutricem nullis unquam circumscribi limitibus.

Illa autem laborum moles, qua paene in dies aucta me impeditum videbam, quo minus literis, quae mihi semper in deliciis fuerunt, operam darem, causa tandem fuit, quare munus his molestiis vacuum petii Budissae, quam in urbem anno 1841 pastor vocatus sum ad Scti Petri aedem Secundarius. Quo munere adhuc Deo adiuvante pro viribus fungor, in diem magis laetans de eo, quod theologiae praxis me ad veritatem perduxerit e Verbo Domini, I. Timoth. I, v. 15. cognoscendam, et gratissimo in Dominum animo fateor, nullas mihi parari maiores delicias, quam quae bibliis sacris iusto modo perscrutandis parantur.

GOTTLÖB CHRISTIANUS SCHMIDT,

PASTOR APUD MISENENSES AFRANUS.

Patriam habeo Brückenam, oppidulum in amoenissimo et fertilissimo Thuringiae tractu situm, ubi anno saeculi superioris octogesimo octavo d. XXX. Octobris natus sum, patre Ioanne Godofredo Christiano, redituum Principis a rebus venalibus procuratore primario, matre vero Augusta Bernhardina e gente Köhleriana. Qui quidem pater optimus, assidue de Suorum commodis sollicitus, quamvis praeter plures filias sex aleret filios, tamen omnes adspirare voluit ad altiora literarum studia et uno excepto omnes ipsius votis annuerunt. Primis latinae linguae elementis me non modo ipse imbuere studuit, sed etiam tradidit Hofmanno, oppiduli ludimoderatori haudquaquam imperito, diligenter erudendum. Puerulum vix decem annorum me Dondorpium deduxit et Kraftius, tum rector huius scholae inferioris latinae solertissimus, rebus meis tam sedulo consuluit, ut gratam eius memoriam tempus abolere non possit. Triennio ibi peracto demigravi Roslebam, sedem literarum scholis nostris provincialibus haud absimilem, sub auspiciis generosissimi de Witzleben prospere vigentem. Ex praeceptoribus, qui mihi discipulo obtigerunt et quorum Wilhelmium et Weineckium senes etiamnum superstites maximopere laetor, singulari et vere paterna benevolentia me dignum habuit Nitzschius, vir eruditissimus et ut ipse antiquarum literarum flagrabat amore, mihi quoque auctor exstitit, eandem, quam sibi ele-

gerat, ingredi viam. Verum propensior fuit animus iam inde ab aetate tenuerrima ad sacras literas capessendas ideoque in Academiam Lipsiensem me contuli tempore auctumnali a. MDCCCVI, quum post cladem funestissimam Ienensem bello omnia turbarentur. Eccio rectore in civium Academicorum numerum relatus scholis interfui philosophicis Caesaris, Platneri et Cari, tunc eheu praematura morte rebus humanis erepti; interpretationem scriptorum graecorum et latinorum mihi praeivere Hermannus et Beckius, eundemque audiui historiam rerum in ecclesia gestarum enarrantem et libros N. T. deinceps illustrantem; in explicatione librorum V. T. Meisnero et Krügero potissimum ducibus usus sum; theologiam dogmaticam, moralem, symbolicam et pastoraalem me docuerunt Schottius, Keilius, Tittmannus et Wolfius; paedagogicam mihi exposuit Lindnerus; artis pro concione discendi praecepta tradidit Rosenmuellerus et homileticas exercitationes moderantem per annum adii egregium Goldhornium, patronum non ultimo loco nominandum, cui, quidquid in hac re peritiae habeam, me debere ingenue profiteor. Hunce studiorum cursum emensus Dresdam abii, ubi speciminibus coram senatu ecclesiastico rite editis reverendi Ministerii candidatorum iura impetravi. Dresdae commorari mecum quidem constitueram, auctore potissimum Reinhardo, viro immortalis memoriae, e cuius colloquio tum discesseram. Sed ut fata ducunt mortales haud raro invitos, rebus quibusdam fortuitis, quas uberius enumerare huc non adinet, intervenientibus factum est, ut Mosellam deferrer, pagum Saxoniae montanae prope Zwickaviam, ubi per quadriennium fere delitui, liberis familiae nobilis sat multis instituendis educandisque unice occupatus. His tandem relictis quoniam studiis theologis operam navare diligentiore otium deerat, Dresdamque reversus mihi met ipsi vivere sententia stetit. At quum generosissimus de Weber, quem adhuc senatui summo in terris Saxonis ecclesiastico iuveni ardore praesse nos omnes congratulamur, curam filiorum ultro demandaret, haud recusandum putavi, neque unquam consilii poenituit. Etenim vix praeteriit dies, quo Weberus eius socer Kappius, senex e paucis venerabilis, benevolentiae documenta mihi iam edita non novis auferent; bibliotheca regia copias suas mihi aperuit; oratores summos audiendi mihi fuit opportunitas et commercio usus sum familiari amicorum, qui mecum praeside Tittmanno artem pro concione apte et fructuose dicendi exercitabant, quorum multi huc et illuc dispersi, muneribus sacris funguntur, haud pauci dudum occubuerunt. Idcirco et hoc in luculentissimis, quae in me contulit Deus O. M. beneficiis pono, quod prope modum in vicinis Dresdae sedem perpetuam mihi constitueret. Kaditii enim a. MDCCCXIX summus senatus ecclesiasticus munus Diaconi mihi commisit

ibidemque biennio post me pastoris officia suscipere iussit. Gratissima ibi fuit rerum mearum conditio. Nam amoenitas naturae, favor parochianorum, auditorum frequentia, coniugium cum Henrietta e gente Zenkeriana initum felicissimum, liberorum bonae spei plenorum copia, quos ex ea susceperam, amici vicinia multisque aliis nominibus devincti, quorum unum Trautscholdium Koetzschenbrodensem nominasse sufficiat, quicquid ad vitam exhilarandam pertinet, mihi suppeditabant, neque unquam de muneris ratione permutanda cogitasset, nisi viri, penes quos sacrorum in Saxonia est summa potestas, me in locum Krehlii, qui, provincia Pastoris Afrani relicta, doctrinarum sacrarum Professor oratorque templi Paulini Lipsiam abierat, honorificentissime sufficere voluissent. Primum diu dubius haesitavi. Noveram viri illius reverendi mihiq̄ue coniunctissimi raram facundiam et existimationem, qua usus erat, singularem; noveram ambitum dioeceseos amplissimum; noveram muneris laboriosissimi gravitatem. Sed non sine numine divino illud evenisse ratus Maecenatium voluntati obsequendum esse duxi. Primo a. MDCCCXXXV die hocce munus auspicatus sum et hactenus pro virium modulo elaboravi, ut cum ecclesiae, tum scholae opera mea quam fructuosissima esset, praesertim, cum per tres annos et quod excurrit dioeceseos Misenensis administratio vicaria mihi esset demandata. Libros a me conscriptos non emisi, nisi quod subinde sermones sacros amicis hortantibus typis exscribendos curaverim, quoniam haec mihi stat sententia, cuilibet, qui literas scriptis augere non possit, esse consultius, proximis officiis omnes virium nervos intendere. Quod vero S. V. Theologorum in Academia Lipsiensi in his diebus saecularibus memoria dignissimis summos in Theologia honores in me conferre praeter spem benevole decreverit, gratissima mente agnosco nec quicquam ardentius a numine summo precor, quam ut etiam in posterum consiliis et laboribus meis annuat, operamque meam ecclesiae et reipublicae nunquam non inutilem esse iubeat.

CAROLUS IULIUS KLEMM,

PASTOR PRIMARIUS APUD ZITTAVIENSES.

Natus sum Zwiccaviae die V. mensis Aprilis anno salutis MDCCCIV patre Carolo Danckegott Klemm, marcatore, matre Iohanna Christiana Eleonora e gente Isaacorum Lusato-Gorlitzensium oriunda mihiq̄ue annos nato praematura

morte ademta. Privatae scholae atque institutioni magistrorum domesticorum, quorum unum adhuc superstitem Temperum, nunc verbi divini apud Ruppertsgrünenses in Variscia ministrum, grate nomino, traditus prima literarum ac bonarum artium elementa discere coepi iisque imbutus adii patriae urbis Gymnasium, in cuius tertium ordinem receptus, postea in secundum evecus praereceptores habui Thümлерum, Loeberum, Goerenzium, Klopferum, quorum nomina ac merita grata semper memoria prosequare. Quum vero pater dilectissimus belli tempestate et iniqua sorte de conditione sua deiectus Schlemam, vicum prope Schneebergam, transmigrasset, parentes (pater enim amissa coniuge uxorem e gente Schmidtia Fribergensi duxerat caque maternam de me, fratre meo ac sorore curam susceperat) secutus in disciplinam Lycei, quod Schneebergae Frotschero rectore illo tempore florebat, transii.

Neque erat mihi id dolendum, quid? quod in praecipuis Dei beneficiis reponendum esse arbitror, quod mihi contigit, institutione virorum de me optime meritorum per triennium frui, ut Mülleri amicissimi mei nunc correctoris Budissensis, Frotscheri, magistri doctissimi et maxime strenui, nunc rectoris Fribergensis, b. Voigtländeri sempiterna et gratissima memoria, quemadmodum eius discipuli huc et illuc dispersi, obitum rectoris sui et interitum matris almae (Lycei Schneebergensis) vehementer lugentes ad unum omnes confitentur, dignissimi. Praeter hos praereceptores mihi bene cupientes animumque meum diligenter excolentes fautoris in me provinciam benevole suscepit Vir S. R. Wahlius, tunc apud Schneebergenses verbi divini minister primus et Lycei patronus florisque eius acerrimus tutor. Idem, quo nunquam non erga me erat animo benigno, quum adolescens undeviginti annorum discederem a Lyceo, castra theologiae in academia Lipsiensi secuturus, delineavit non solum consilii mei rite persequendi iustam viam, verum etiam literis me commendavit Viro, qui illo tempore insigne decus Ordinis Theologorum Lipsiensium erat et post reditum in patriam iterum evasit atque etiam in posterum manebit, S. V. Winero. Hinc factum, ut aditus mihi pateret ad penetrabile ac familiaritatem eius et quantum emolumentum, quantum voluptatis ad me inde redundaverit, verbis non possum satis describere.

Civibus academiae Lipsiensis anno huius saeculi XXII. a. b. Tittmanno, Rectore Magnifico, adscriptus initio, a viris rerum peritis admonitus, scholis philologicis Hermanni et Spohnii interfui, in philosophiae disciplina Krugium, Wendtium, Clodium docentes audivi, ad accuratiorem theologiae notitiam mihi comparandam in isagogica et propaedeutica studia Winero, Cramero, Winzero, Rosenmüllero auspiciis incubui et ex primario theologiae fonte, quippe literarum sacrarum sana interpretatione, Winzero et prae caeteris Winero auctore haurire

coepi. Deinde in historia ecclesiastica Tzschirnerum, in theologia dogmatica Cramerum, in symbolica et morali Tittmannum duces habui et ad finem cursus academici scholas homileticas Tzschirneri ac paedagogicas Lindneri frequentavi. Quibus omnibus me meam qualemcunque theologiae cognitionem debere, summos tamen fructus e societate exegetica a Winero condita, dum commorabar Lipsiae, percepisse, non possum quin ingenue profitear. Winerus, cuius a patria academia discessum omnes, qui ab ore eius pendebant, aegre tulerunt, reliquerat non tantum magnum sui desiderium, verum etiam haereditatem plurimi aestumandam et a viris tali auspice dignis pie conservatam. Condecorabant illo tempore societatis exegeticae coronam nomina, quae per totum literarum orbem inclaruerunt, Theilii, Niedneri, Fritzschi, Fleckii, atque hos viros, ingenii et doctrinae praestantia maxime conspicuos haud taeduit, socios habere multo inferioris ordinis et nullo pacto cum ipsis comparandos, ad quos lubentissime ipse accedebam. Societas nostra aliquantum temporis speciem *aristocratiae* verissimo sensu obtinuit et quod τῶν ἀριστῶν comi consuetudine, alacri institutione, illustri exemplo uti concessum erat impense gavisi sumus, qui eramus, ut de me quidem loquar, minorum gentium. Mutabatur hic societatis status, ubi Viri doctissimi munera academica capessiverunt neque tamen vinculum, quo iisdem obstricti tenebamur, plane solutum est. Niednerus S. V. pro summa qua est humanitate plures nostrum inter privatos parietes benevole excepit et nobiscum disserendo communicavit, quae ad solidiorem historiae ecclesiasticae cognitionem faciebant. Theilius S. R. vero, ne societas capite gnaroque duce esset destituta, ei solus praeesse coepit et de sociis, quemadmodum omnino de theologiae studiosis quam optime meritis est. Multus eram in hac vitae meae exigua parte enarranda, quoniam memoriam commercii literarii, quod cum magistris praestantissimis et sodalibus studiorum usu coniunctissimis, ut cum Ungero, nunc pastore Gruenstadtensi, Begero rectore Dresdensi, Köhlero, qui Seminario Grimmensi praefectus est, aliisque iniveram, recolere usquequaque magnopere invat.

Academicum studiorum curriculum emensus anno h. s. XXV. die V. Octobr. explorationem publicam coram supremo senatu ecclesiastico Dresdensi subii, qua secundo omine peracta ad parentum lares reverti, ubi in vicinitate Schneebergae aliquamdiu commoranti orationum pro rostris sacris habendarum crebrior et exoptata opportunitas oblata ac licentia concessa erat, egregii Wahlî praeclarum successorem S. V. Heymannum adeundi eumque ex suggestu sacro candido ore et deserto pectore dicentem audiendi. Non multo post redux factus Lipsiam, ut thesanros in sede literarum reconditos penitus indagarem, non ultra dimidium anni ibi versatus in montanas patriae regiones interprete Weidauero amico et olim

praeceptore, nunc pastore Buchholzensi, revocatus sum, ut in vico Lauter prope a Schneeberga paedagogi munere defungerer. Nec me poenituit, numinis divini, quod parat viam regitque hominum cogitata, consilio obtemperasse. Inveni copiam docendi pariter ac discendi et quae Lindneri S. R. disciplinae debebam, usu comprobandi. Inveni amoenitatem vitae rusticae ac familiaris, patronos, qui mihi bene volebant, amicos, Bartkium dico, iam vita defunctum, Leopoldum, nunc dioecesis Pegaviensis ephorum, illo tempore pastorem Boccaviensem, Behrium, pastorem Schwarzenbergensem, quorum consuetudo et animum recreavit et iuveni ad munus sacrum obeundum adspiranti multum profuit. Ocius vero, quam expectaveram, hanc, quam cupide appetunt candidati, metam sum assecutus et mihi non diutius quam per anni spatium in illa secunda rerum conditione morato contigit esse tam felici, ut inter viginti stadiodromos palmam deportarem, i. e. munere *diaconi* apud Bornenses ornarer.

Iam non possum silentio praetermittere, me id tamquam insigne Dei O. M. beneficium spectasse semperque spectaturum esse, quod haec primam inter Christi agmina (2. Tim. II, 3.) militiam agendi statio mihi tradita erat, statio, quae tironi idoneum agendi campum et copiosam de favore divino humanoque laetandi ansam suppeditavit. Collegarum comitate, Zobeli potissimum nunquam non gratissimo animo a me colendi amore vere paterno, animarum, quarum cura mihi mandata erat, fide, auditorum frequentia, amicorum indulgentia me vidi ornatum studiumque maiora in homiletica arte exercenda incrementa capiendi accensum. Otium, quod mihi largiter concedebat muneris ratio, literis sacris et pueris erudiendis navavi et quamvis minus largum suppeteret, quo fruebar, stipendium, vitam tamen iucundam nec, quod opinari fas est, fructibus plane destitutam per quinquennium transegi. Quae quum ita se haberent vix de mutatione sedis serio cogitasset, nisi ex inopinato senatus coetusque Zittaviensis me arcessivisset eo consilio vel potius eventu, ut antistes sacrorum apud eos crearer. Cuius fiduciae a senatu Zittaviensi in me repositae auctor fuit S. V. Döhnerus, reg. Sax. a consil. ecclesiast. et scholasticis in senatu provinciali Zwiccaviensi, ord. Sax. virtut. civit. eques. Idem adhortatione et doctrina praeparavit *puerum*, antequam in coetum adultorum Christi assecularum Zwiccaviae, ubi ille tum muneri archidiaconi praererat, recipiebar. Idem prosecutus est *iuvenem* piis votis eumque ferebat in orulis. Idem Deo annuente *viro* aperuit stadium, in quo me currere toto pectore lactore. Quocirca quis est, qui miretur, me hic nihil quidquam antiquius habere, quam ut Viro spectatissimo gratias quam maximas palam persolvam et profitear, me tantae benevolentiae mihi praestitae memoriam per reliquum vitae spatium pie esse conservaturum?

Haud sine dolore discessi a Bornensibus meis, qui me tam praesentem quam discedentem beneficiis atque amore prosecuti sunt, et vinculis familiaritatis consuetae scissis vix sperare poteram, fore, ut novus in nova rerum agendarum conditione eadem, qua fruius eram, caritate ac fide extemplo potirer. Mox tamen Zittaviae eximia favoris documenta undique in me collata sunt et in sustinenda officii mole satis gravi et insolita animus spe fiduciaque erigebatur, me non incassum operam consumpturum neque absque successu Evangelium praedicaturum esse. Inde factum est, ut duobus annis post praeter omnem expectationem ab amplissimo civitatis Hamburgensis senatu dignus habitus qui provinciae pastoris primarii ad aedem S. Petri nuper dirutam ac scholarchae praeficerer, a me non impetrare possem, ut tam subito dissolvi paterer quae me tenebant pietatis gratique animi vincula. Nec defuerunt, posteaquam muneri illi non procul a littore maris honorifice mihi oblato renuntiaveram, pignora animi Zittaviensium de eo laetabundi, quod apud ipsos manseram. Sic, ut unum asseram, nomen meum tabulis civium urbis honoris causa adscribendum curaverunt.

Sub initio anni insequentis h. s. XXXV. iacturam feci unici fratris, iurisconsulti apud Bornenses, immatura morte mihi erepti. Exeunte vero eodem anno inveni comitem fidam, coniugem carissimam. In matrimonium enim duxi Sidoniam, Gottschaldi praetorio s. iudicio regio in *arce*, quae ab Augusto principe electore Sax. nomen traxit, olim praefecti filiam natu minimam. Quam ut duxi multo beatioram vitam degere coepi et amoenitas vitae praesentia quoque parentum dilectissimorum, ubi patri iam in Lusatia Lessingiani nosocomii procuratori a senatu Zittaviensium munus urbanum curatoris pensurae publicae (*Waugemeister*) commissum erat, haud parum adaucta est.

Verum ne iustos describendae vitae non tam rebus gestis quam beneficiis acceptis refertae limites migrem, vela contrahere satius duco, hac solummodo addita promissione, me pro virili esse elaboraturum, ut muneris sacri ab ecclesiae auctore divino mihi demandati officio, quantum fieri potest, satisfaciam et honoribus, quibus S. V. Theologorum Lipsiensium Ordo me condecorare decrevit, non plane indignus reperiar, quippe enitendo, ut auxiliante Deo, vitae meae summo ac benignissimo gubernatore, partibus doctoris Scripturae Sacrae, ex qua omne animarum pabulum ad vitam aeternam comparandam idoneum repetendum est, ad amissum respondeam.

Praeter singulas ad viginti orationes sacras, quas auditorum admonitu typis exscribendas curavi et orationes serptionesque annalibus et ephemeridibus (ut *Lommler's Praktische Predigerzeitung*, *Röhr's Predig. Magazin*, *Hildebrand's Eutaxia*, *Zimmermann's Sonntagsfeier u. Litterarische Blätter für Homiletik und*

Ascetik, etc.) insertas haec duo in lucem prodire a me scripta: 1) Erinnerungen an heilige Stunden im Gotteshaus, Predigten, Zittau u. Leipzig, 1835. 2) Stimmen aus dem Gotteshause, als Haus- und Andachtsbuch, Predigten auf alle Sonn- und Festtage des Kirchenjahres über die im Königreiche Sachsen neu verordneten bibl. Abschnitte, II Bände, Zittau, Verlag von C. G. Fr. Birr, 1842. Ad summos vero in theologia honores inter tertii obitus Lutheri solemnia saecularia benevole mihi delatos rite capessendos exaravi commentationem maximam partem exegeticam de necessitudine Iesu Christo cum consanguineis intercedente.

M. CHRISTIANUS ADOLPHUS PESCHECK,

DIACONUS AD STI IOANNIS IN URBE ZITTAVIA.

Natus est ipsis calendis Februarii, 1787 in pago montano Ionsdorf, prope Zittaviam in Lusatia, iuxta fines Bohemiae. Pater, tum ibi verbi divini minister erat, oriundus ex familia bohemica, quae olim religionis purioris gratia, patriam reliquerat. Mater quoque, Carolina Dorothea, nata Klien ex Slavis oriunda erat, filia pastoris ex natione Serborum in Lusatia. Literas didicit a carissimo patre, a praeceptoribus domesticis in pago Gross-Schönau, et Zittaviae, ubi pater tandem munere pastoris primarii functus, anno 1826 mortuus est. Gymnasium Zittaviense, cuius lectionibus per sex annos usus erat, iuvenis octodecim annos natus reliquit, et, studio theologico deditus anno 1805—1809 Vitebergae vixit, ubi disciplinis theologicis, philologicis et historicis paene omne tempus pro viribus dedicavit et professores seniores, viros celebres, Schröckhium, Schleusnerum et Nitzschium, et iuniores, Tzschirnerum, Bretschneiderum (nunc Gothanum,) et Heubnerum, (cui plurimum debere fatetur,) diligenter audivit, in eo templo, ubi Lutherus nunc per tria secula sepultus est, concionandi arti discendae studuit et titulo doctoris philosophiae et magistri artium ornatus est. Reversus in patriam, Zittaviae, privatim et publice, pueros, puellas et iuvenes in scholis, coetusque christianos in cathedris sacris docuit. Anno 1816 a Senatu Zittaviensi munus pastoris Lückendorfiensium et Oybinensium ei traditum est. Decem annis peractis ab eodem Senatu vocabatur Zittaviam ad munera sacra. Id, quo hodie fungitur, est munus Diaconi primi in aede parochiali St. Iohannis et pastoris coetus filialis

H

in pago vicino Kleinschönau. Per duodecim annos senatus quoque Seminarium eius studio et labori credidit, ubi magnum numerum iuvenum, qui nunc ipsi scholas regunt, docuit. Matrimonium eius cum Henrietta Augusta Gössel felicissimum est. Pars filiorum muneribus publicis fungitur, pars in gymnasio literis studet, filiae vero viris aestimatissimis matrimonio iunctae sunt. Otium, quod supererat paene omne laboribus historicis tribuit, qui inde ab anno 1805, per 40 annos typis evulgati sunt.


CHRISTIANUS AUGUSTUS HENNING
DIGNUS AD STIPENDIUM IN REBE STRASSE

...
P. 3. l. 7. a. i. comma post *denuo delendum et post blasphemias ponendum.*
...
LIPSAE

LITERIS STARITZII, TYPOGR. UNIVERSIT.

ULB Halle 3
005 393 736



ECTOR

ITATIS LIPSIENSIS

US DE PFORDTEN

PENTECOSTALIA

D. MDCCCXLVI.

EBRANDA INDICIT

ORATORE

DOVICO GOTTLOB KREHL

HEOL. H. T. DECANO.

*ri in solempni renuntiatione Doctorum Theologiae
a c. App. Vitae Doctorum nuper creatorum.*

